This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

MLS 528.81

Harvard College Library

FROM THE

SUBSCRIPTION FUND

BEGUN IN 1858

DE

M. GUALTHERO AB INSULIS

DICTO DE CASTELLIONE

DE

M. GUALTHERO AB INSULIS

DICTO DE CASTELLIONE

disseruit

LEO BELLANGER

in facultate Parisiensi jam licenciatus, ad gradum doctoris promovendus

ANDECAVIS

TYPIS EXCUDEBANT TANDRON ET DALOUX, VIA DICTA SAINT-LAUD, 9

1877

MLS 328.81
~~IV. 5649.5~~

Subscription fund

ORNATISSIMO VIRO

M. SUBILEAU

MINORIS SEMINARII DICTI MONGAZON

MODERATORI

HOC OPUSCULUM DICATUM VOLUIT

DISCIPULUS MEMOR.

L. B.

INDEX BIBLIOGRAPHICUS

I.

OPERA GUALTHERI

I. MANUSCRIPTA

CODEX 8359. — BIBLIOTHECÆ PARISIENSIS MAXIMÆ. —

— F° 36. r° Galterus de Insula super statibus mundi. Rhythmus I.

— — 36. v° Galterus de Insula super statibus personarum ecclesiasticarum. R. II.

— — 37. r° Galterus de Insula contra ecclesiasticos prelatos. R. III.

— — 37. v° Galterus de Insula contra ecclesiasticos juxta visionem Apocalypsis. R. IV.

— — 40. v° Galterus de Insula quod papa sit summus et imperator sub ipso. R. V.

— — 41. r° Galterus de Insula contra statum Ecclesie depravatum. R. VI.

— 41. v° Galterus de Insula de Adventu Antichristi. R. VII.

— — 42. v° Galterus de Insula domino pape. R. VIII.

— — 43. v° Galterus de Insula predicans scolaribus bononiensibus in reditu suo a curia romana. R. IX.

CODEX 8359 — 44. v° Oratio miserere mei Deus, richmice composita a Galtero de Insula, juxta sensum et ordinem psalmi, ipso infirmo ad mortem exeunte. R. X.

CODEX PARIS.	8116	anno	1272	exaratus :	Alexandreis etc. :	A.
—	8117	sec.	XIII°	—	—	B.
—	8118	—	XIII°	—	—	C.
—	8119	—	XIII°	—	—	D.
—	8120	—	XIII°	—	—	E.
—	8121	anno	1433	—	—	F.
—	8350	—	1272	—	—	G.
—	8351	—	1284	—	—	H.
—	8352	sec.	XIII°	—	—	I.
—	8353	—	XIII°	—	—	J.
—	8354	—	XIII°	—	—	K.
—	8355	—	XIV°	—	—	L.
—	8356	—	XIV°	—	—	M.
—	8357	—	XIV°	—	—	N.
—	8358	—	XIV°	—	—	O.
—	8359	—	XIV°	—	—	P.
—	8486	—	XIII°	—	—	Q.
—	8487	—	XIV°	—	—	R.
—	8488	anno	1427	—	—	S.
CODEX RHEDIGERANUS,				apud Peiper.	Alexandreis :	T.
— GUELBERFYTANUS,				apud Muëldener.	—	U.
— ERFURTENSIS				—	—	V.
— MATTHIÆ				—	—	X.

II. TYPIS MANDATA

Gualtheri ab Insulis Opera omnia (Migne CCIX.) id est : Tractatus contra Judæos et Alexandreis tantum : in qua edenda, M. ab Alexandreide, opera R. F. Athanasii Gugger, S. Galli, in monasterio S. Galli... 1659, typis mandata, nunquam discessit.

Gualtheri ab Insulis Alexandreis. Lugduni. Ex authoritate regis. Excudebat Robertus Granson, typis propriis. 1558.

M. Gualtheri... Alexandreis, ad fidem librorum mss. et impress. Recensuit F. A. W. Muëldener. Lipsiæ, 1868, in-16. Illam ego recensionem, præ ceteris, secutus sum.

Du Méril, (Edelestand,). *Poésies populaires latines du Moyen-Age*, Paris, 1847, in-8°. Illo in libro D. M. edidit R. I et III, atque Gualthero vindicavit decem Cod. Par. rhythmos, quorum plerosque alteri ascripserat :

Wright (Thomas), in : *The latin poems commonly attributed to Walter Mapes.* London, 1841, in-8°. Illis poematibus immixti sunt R. II, IV, VI, VIII.

Wright (Thomas). *Anecdota litteraria, a collection of short poems in English, Latin and French, illustrative of the Literature, etc.* London 1844, in-8° : cui libro inest, sed nulli ascriptus, R. IX.

II.

OPUSCULA IN QUIBUS DE GUALTHERO DISSERTUM EST

Multi de Gualthero aliquid dixerunt sed hi, inter alios, locupletissimi :

Ginguené. *Gaultier de Châtillon* : Histoire littéraire de la France, par des religieux bénédictins de la Congrégation de Saint-Maur, continuée par des membres de l'Institut. Paris, 1733-1864. 24 vol. in-4°. T. XV.

Mueldener. *De Vita Magistri Gualtheri ab Insulis.* Gottingæ, 1854, in-8°.

Peiper. *Walter von Chatillon.* Breslau 1869, in-4°.

III.

PATROLOGIA

I. OPERA GENERALIA

BALUZIUS *Miscellaneorum* libri VII.,. Lutetiæ Parisiorum, 1715. 7 vol. in-8°.

BOUQUET. (D.) *Rerum gallicarum et francicarum scriptores*. Paris, 1738-1865. 22 vol. in-folio.

DESPONT. *Maxima Bibliotheca veterum patrum et antiquorum scriptorum*. Lugduni, 1677. 27, in-folio.

LABBÆUS. *Sacrosanta concilia*. Lutetiæ Parisiorum, 1621-1672. 15 vol., in-folio.

MABILLON. *Vetera analecta*... Lutetiæ Parisiorum, 1675-1685. 4 vol. in-8°.

MARTENNE. *Thesaurus novus anecdotorum*. Lutetiæ Parisiorum, 1717. 5 vol., in-folio.

MIGNE. *Patrologiæ latinæ Cursus completus*. Lutetiæ Parisiorum, 221 vol. in-8°.

II. OPERA SPECIALIA

ALANUS DE INSULIS. *Anticlaudianus*. Cod. Andegavensis. 510.

BALDRICUS BURGULIENSIS. *Poésies transcrites par André Salmon*, d'après le ms. 1351 de la Reine de Suède au Vatican. — Cod. Turonensis . 851.

DEMIMUID. *De Bernardo Carnotensi*, grammatico et Virgilii interprete. Parisiis, 1873, in-8°.

JACOBI VITRIACENSIS, Tusculani episcopi, *Sermones vulgares*. Cod. Paris. 17509.

PANNENBORG. *Ueber den Ligurinus* : Forschungen zur deutschen Geschichte, t. XI, p. 163. — 300. Gœttingen, 1871.

PARIS (Gaston) : *Dissertation critique* sur le *Ligurinus attribué à Gunther*. Paris, 1872. in-8°.

PETRUS DE RIGA. *Aurora*. Codd. Andegavenses 507, 508.

IV.

OPERA VARIA AD MEDIUM ÆVUM PERTINENTIA

I. GRAMMATICA

Du Cange. *Glossarium mediæ et infimæ latinitatis*... auctum a monachis ordinis S. Benedicti, cum supplementis integris D. Carpenterii, et additamentis Adelungii et aliorum, digessit G. A. L Henschel. Parisiis, 1840-1850. 6 vol. in-4°.

Forcellini. *Totius latinitatis lexicon* .. Secundum tertiam editionem cujus curam gessit Josephus Furlanetto. Lipsiæ, 1839. 4 vol. in-4°.

Thurot. *Notices et extraits de divers manuscrits latins, pour servir à l'Histoire des doctrines grammaticales au Moyen-Age.* T. XXII, IIe partie des : Notices et extraits des Manuscrits de la Bibliothèque impériale, publiés par l'Institut. Paris, 1868. In-4°.

II. HISTORICA ET LITTERARIA

Bulaeus. *Historia universitatis Parisiensis.* Parisiis, 1665-1673. 6 vol. in-folio.

Gautier (Léon) *Les épopées françaises.* Paris, 1865-1868. 3 vol. in-8°.

Heinrich. *Histoire de la littérature allemande.* Paris, 1870-1873, 3 vol. in-8°.

Histoire littéraire de la France. (Vide I.)

Marlot. *Histoire de la Ville, Cité et Université de Reims.* Reims, 1846. 4 vol. in-4°.

Morel-Fatio. *Recherche sur le texte et les sources du* Libro de Alexandre. Romania, janvier 1875.

Paris (Paulin). *Les Romans de la Table-Ronde*, mis en nouveau langage etc., Paris, 1868-1876. 4 vol. in-12.

PARIS (Paulin), *Les Manuscrits français de la Bibliothèque du Roi.* Paris, 1836-1848, 7 vol. in-8°.

RAMBAUD. *La Russie épique.* Paris, 1876, in-8°.

RANGEARD. *Histoire de l'Université d'Angers*, publiée par A. LEMARCHAND Angers, 1872-1875. 2 vol. in-8°.

SAMMARTHANUS (D.) *Gallia christiana, in provincias ecclesiasticas distributa.* Lutetiæ Parisiorum, 1715-1785. 13 vol. in-folio.

TALBOT. *Essai sur la légende d'Alexandre le Grand*, dans les Romans français du XIIe siècle. Paris, 1850, in-8°.

VARIN. *Archives législatives de la Ville de Reims.* Paris, 1840. 5 vol. in-4°.

PROŒMIUM

Quo studio suos clericos, Medio Ævo, litteris antiquis Ecclesia imbuerit, multi edisseruere ; quem tamen fructum ex opera tanta captaret, paucos aut omnino nullos invenio qui exquisierint. Itaque mihi in eorum, qui tum juvenes docuerunt, mentem introspicere, visum fuit ; qua investigata, quid compertum habeam hoc in opusculo instituo explicare. Nec vero alia de causa, Gualtheri ab Insulis vitam narrare, scripta perpendere adorior.

Tum Ecclesia clericos quasi cognatos efficiebat Romanis illis, quos Sallustius ita laudat : « Prudentissimus quisque maxume negotiosus erat ; optumus quisque facere quam dicere, malebat. » Namque illos, cum exemplaribus latinis acumen admovebant, quid Flaccus Virgiliusque *utile*, non quid suave *ferrent*,

quærere jubebat; volebatque magistros ad theologiam, qua quidem presbyteris nihil utilius, omnes artes et scientias dirigere. Cui disciplinæ mirum in modum Gualtherus repugnabat, utpote qui potius ad ficta quam ad vera, impetu quodam poetico, raperetur. Neque tamen potuit, quin ad ætatis suæ consuetudinem a magistris accommodaretur. Duplex igitur, uno in viro, ingenium copia est animadvertere : alterum insitum, cui Gualtherus identidem indulget; alterum intrusum, cui sæpius obsecundat. Æqualium more, actuosus theologus est; idemque, illorum antiquorum ritu quorum carmina legit, poeta otiosus. Musas Theologiæ, pro temporis consuetudine, plerumque emancipat; eas tamen — quod quidem loco ostendam — in libertatem semel atque iterum, universa æqualium manu resistente, quasi tentat vindicare. In summa, profecto magistros sequitur, sed id interdum pede hæsitanti, tanquam si illos derelinquere, vestigiisque antiquorum ingredi meditetur. Naturam tandem in eo ingenium adventicium vincit, eoque impetu in stadium ubi æquales exercentur, Gualtherus irruit, ut Ecclesia eum necesse habeat revocare. Qui modo utilium *tardior* erat *provisor*, jam laborat avaritia ;

lucri faciendi causa, jurisconsultus fuit, ni Ecclesia prohibuisset.

Nunc patet cur ad Gualtherum animum intenderim. Is enim illud quasi signum quo Ecclesia clericos notabat, eo expressius in se habet, quod magistris minime cereum se præbuit; illis, ut ita dicam, æs quoddam opposuit incidendum. Præterea, quorsum clerici litteris juberentur studere, etiam defunctus ostendit: magistros enim pro Æneide illius Alexandreida ideo fuisse interpretatos, quod utilior esset meliusque ad Theologiam discendam juvenes præpararet, mox videro.

Jam vero ad vitam Gualtheri narrandam aggredior. Quæ fecit, singula non persequar; nam quod litteras, secundum Ecclesiæ præcepta, ad usus christianæ vitæ necessarios, a clericis conversas fuisse demonstrat, id unum, ut dixi, in lucem proferre institui; cetera, quæcumque sint, de industria missa facio.

CAPUT I

Gualtherus trivium et quadrivium percurrit, id est, litteras et scientias discit.

Gualtherum Insulis oriundum [1] esse, et omnes qui de illo scripsere auctores sunt, et ipse de se testatur : « Insula me genuit..... » atque iterum. « Ego Gualtherus Tornacensis diœceseos oppido, quod Insula dicitur, oriundus [2]. »

Remos et Parisios, ut pauci volunt, Parisios tantum, ut plerisque placet, ad studium se contulit. Equidem libenter crediderim illum prima litterarum elementa, in oppidana schola, delibavisse; deinde ut, quod primoribus labris attigisset, penitus exhauriret, Lutetiam petiisse. Parisiacæ vero scholæ, inter eas omnes quas, per totam Europam, episcopi et monachi instituerant, principem locum jam tum obtinebant [3]. Jam tum nemo litteratus aut theologus habebatur qui,

[1] Villa Romia (T.) Villa Ursinio (J. P.).

[2] Tractatus sive dialogus G. contra Judæos (Migne, CCIX).

[3] Parisius locus deliciarum, ager plantationum (Petr. Col.). Cariatsepher, id est civitas litterarum (Phil. Bonæ spei ap. Bul. II, 252, 254).

in audiendis Parisiacis magistris, multos annos non consumpsisset ; itaque discipuli adeo frequentes Lutetiam undique confluebant, ut « clericorum turba » contenderet supergredi numerosam multitudinem » laïcorum [1]. » Quem suorum æqualium morem secutus, Gualtherus Lutetiam, neque is litterarum, ut opinor, omnino rudis se contulit.

Jam vero illud Flacci,

> Quo semel est imbuta recens, servabit odorem
> Testa diu. (Ep. I. 2. 70.)

me admonet ut, quo Gualtherus odore, id est, qua disciplina fuerit imbutus, inquiram. Qua in re enucleanda, totum in eo est, ut intellegam quem Gualtherum ii facere voluerint, qui illum adorti sint educare. Quærendum igitur mihi est quem ad finem, Medio Ævo, litteras Ecclesia pueros doceret.

Minime quidem infitiabor Christianos nihil obstitisse quominus Musas, una cum ceteris diis, Barbari e mundo expellerent! Timebant enim, idque merito, ne homines, voce illarum capti, ad religionem istam, a qua vix retracti erant, rursus raperentur. Quid demum cantibus opus erat? Ægrotabat, ut aiebant, mundus, porro « dissoluti est pectoris, cum sit ratio cum male se habentibus, sonos auribus infundere dulciores, non medicinam vulneribus adhibere [2]. » Sed cum

[1] Martenne (III. 1712.).

[2] Arnobi senioris disputationes adv. gentes. lib. I (Migne, V. 798.).

tandem ex morbo convaluere homines, neque ullum fuit periculum ne in antiquum errorem reciderent, tum vero de exsilio novem sorores Ecclesia reduxit, ea tamen lege ut, quæ antea dominatæ fuerant, Theologiæ, reginæ scientiarum jam dictæ, famularentur.

Musis igitur præsertim curandum fuit, ut pueri Scripturam sacram theologorumque libros et divinos cantus intellegerent atque recitarent cum *debita accentuum pronuntiacione* [1]. Quo in munere explendo, tales libros jussæ fuerunt eligere, in quibus *honeste sentencie* continerentur et legentium *mentes ad virtutem preparerentur*. Neque tamen ita multi antiquorum libri a scholis removebantur; nam illud magistri assecuti erant, ut e quolibet libro bene vivendi præcepta deducerent. Sic, non secus pœtas ac Scripturam sacram interpretabantur, eosque volebant, quasi hoc translationis genere, quam Græci ἀλληγορίαν appellant, abusi fuissent, aliud verbis, aliud sensu semper ostendisse [2]. Quos qui audiat, dicat Virgilium monachum

[1] Jac. a Vit. ad Scholares II. f° 31.

[2] Ut sunt in veterum libris exempla malorum,
Sic bona que facias sunt in eis posita.
Laudatur propria pro virginitate Diana;
Portenti victor Perseus exprimitur,
Alcidis virtus per multos panditur actus;
Omnia si nosti talia *mistica* sunt...
Virtutum gradiamur iter, gradiamur ad astra,
Gentiles etiam sic properare monent.
Sed volui grecas ideo pretendere nugas,
Ut quevis mundi litera nos doceat;

quemdam fuisse, qui non alium in canendo finem sibi proposuerit, quam ut pueros ad sancte vivendum impelleret. Ceterum, quidquid in emendandos pueros non potuerant illa ratione vertere, id omne ex antiquorum libris tollebant. Neque ulla unquam illis religio fuit, quominus Musas sic mutilarent, cum ad illud audendum se crederent divinitus invitatos. Nempe « Deus Israelitis præceperat ut, si quis mulierem captivam habere vellet uxorem, calvitium ei faceret, ungues præsecaret et, cum munda fuisset effecta, transiret in uxoris amplexus. » Quæ verba, aiebant magistri, « nonne intelligi possunt de aliqua scientia vel de libro a philosophis gentilibus edito, qui, si nobis placuerit, eo quod multa consonantia veritati inveniantur in illo, resecatis superfluis, residuum convertere poterimus in utilitates nostras [1]. »

Ut totus mundus velut unica lingua loquatur,
Et nos erudiat omnis et omnis homo.
(Baldr. Burg. ad Dom. Constantiam. C.Tur.)
Devorat et tempus quidquid genuisse videtur,
Hoc est : Saturnus quod generat comedit...
Quatuor attribuit Saturno fabula natos..
Hec elementa legens quatuor esse reor. (ib.)

[1] Illis verbis usi sunt, IX. s., Rabanus Maurus : De Institutione clericorum (Migne, CVII. 396) et XIII. s., Jacobus de Vitriaco (loc. laud.); quare, pro fundamento disciplinæ clericalis possunt haberi. Idem dicit Joannes Sarisberiensis, at quanto melius :

Docta manus cavet urticas herbasque salubres
Tollit et a spinis intemerata rosas.

(Quod in pluribus utilis doctrina Platonis. Entheticus. V. 1111. Migne, CXCIX. 989.)

Ecquis statuis adeo mutilis *vultum mentemque suspendere* poterat? Ecquis sollicitabatur « ut in litterarum studio nimis moraretur ; similis illis qui habent ire ad aliquem locum, et in via nimis detinentur [1]. » Pergebant igitur discipuli quo sibi eundum erat,

Ceterum e libris XII sec. scriptis, sexcentos locos possum proferre, quibus me clericalem docendarum litterarum rationem, cum summa religione, nunc exponere comprobem. Admirare quæ ex una J. Sarisberiensis pagina. collegerim :

« Sicut in escis carnalibus quædam sunt quæ digeruntur utiliter, quædam vertuntur in crudos humores, quædam sanis conferunt et obsunt ægrotativis... sic et in libris...

« Apes quodam modo debemus imitari quæ vagantur... deinde quidquid attulere disponunt. Nos quoque quidquid diversa lectione quæsivimus, convertamus *in usum virtutis*, ut omnia in ordinem *gerendorum* coalescant.

« Pastor ecclesiæ reptilia et immunda mactare præcipitur, et comedere. Dum innocentiam, frugalitatem, contemptum mundi docent Pythagorici, audiantur ; dum animas, quæ in cœlum evexerunt, retrudunt in corpora bestiarum, juguletur vel Plato.

« Sapientia siquidem fons quidam est, de quo egrediuntur flumina quæ irrigant omnem terram, et non modo hortum deliciarum divinæ paginæ replent, sed etiam ad gentes pertranseunt. Inde sunt floridi, redolentes, et fructiferi gentium horti, quos si forte simplex lector ingreditur, semper poetici illius meminerit :

Qui legitis flores, et humi nascentia fraga,
Frigidus, o pueri, fugite hinc latet anguis in herba.
(Polycr. VII. 11. 659. 660.)

[1] Humbertus a Romanis. Bibl. Maxima patrum Lugd. XIII s. 488.

atque ubi primum ex antiquorum libris « que benedicta inveniuntur ad utilitatem et edificacionem » assumpserant longius in trivio progredientes, ad Logicam accedebant. Porro Logicæ et Rhetoricæ, quæ sequebatur, eodem animo incumbebant, quo antea grammaticæ. A priore, qua ratione in Theologia discenda « veritatem a mendatio discernerent » a posteriore, qua arte « verum loquerentur apte et efficaciter ad persuadendum » expetebant[1].

Emenso trivio, quadrivium supererat peragrandum, quod etiam ad Theologiam pertinebat. Scilicet, æquum erat non pauciora e scientiis, quam e litteris, sapientiæ præcepta efflorescere. Tum juvenes « e geometria, principium et finem suum; ex arithmetica, numerum et paucitatem dierum suorum; e musica, consonancias et dulces cantus supernorum spirituum; ex astronomia, celestia et virtutem stellarum que lucent in conspectu Dei, attendere[2] » discebant.

[1] Jac. Vit. ib.

[2] Ib. Cf. J. Sarisb. Ib. 974. Quod divina pagina regina est aliarum :

Huic omnes artes famulæ ; mechanica quæque
Dogmata, quæ variis *usibus* apta vides,
Quæ jus non reprobat, sed publicus approbat usus,
Huic *operas* debent *militiasque* suas...

Ab eodem discimus, quo pacto astrologia ædificationi morum accommodaretur :

Lunares radii carnes fructusque perurunt
Et vitiant, radius solis utrisque favet.

Quo peracto, in Theologia admiranda copia illis erat requiescere [1].

Jam satis conjicere licet quales dicendi et canendi artifices fuerint viri sic educati. Enimvero, qui omnia ad Theologiam referre assueti fuerint, litteras, nisi Reginæ illi scientiarum ornandæ atque defendendæ, non usui esse persuasum habebant. *Dum de dictis philosophicis* — liceat autem mihi sermonem eorum usurpare — *sese juvabant ad expositionem Scripturarum, Egyptiorum ditabantur spoliis* [2]; ex quibus, cum sacra vasa aut arma sibi confecissent, se quidquid commodi præstare possunt litteræ percepisse rebantur. Nullam videlicet pugnam cum hæreticis conserebant, contionem ad christianos habebant fere nullam, quin antiquos philosophos et poetas, auctores aut socios,

Sic mundana perit sapientia, veraque prodest
Naturamque fovet, plena calore Dei.
Sed calor immensus vermes parit, ut tibi constet
Scrutandi quid habet immoderatus amor. (Ib. 987.)

[1] De ordine discendi :

Cum cunctas artes, cum dogmata cuncta peritus
Noverit, imperium, pagina sacra tenet (J. Sar. Ib. 973.).

[2] Jac. a Vit. Ib.

Captivas ideo gentiles adveho nugas,
Letor captivis victor ego spoliis...
Evaginato victor mucrone Golie,
Ejusdem victor perculit ense caput.
Taliter hic vates adiens penetralia greca
Gentilesque domos dispoliavit eas...
Decipulas ensesque suos detorsit in hostes,
Advectans nobis carmine gentis opes (Baldr. Burg Ib.).

assumerent[1]. Nec alius unquam illis litterarum usus, nisi quod unum et alterum Scripturæ sacræ locum, viri aut factis aut moribus insignis vitam, quæ omnia « *ad edificacionem morum et instructionem*[2] » conducunt, versibus satis male tornatis, identidem exprimebant.

Ad illum modum Gualtherus litteras didicit, atque in illa officina adolescentiam consumpsit, unde bonus ille quidem theologus evaderet, sed malus poeta Quanquam, XII° seculo, magistri multi poetas aut oratores potuerunt perficere : vel ille Bernardus Carnotensis « exundantissimus illius ætatis fons litterarum in Gallia, » omni virtute quæ bonum magistrum deceat, quam prope fuit cumulatus ! Illo Gualtherum magistro, etsi « sub magistro Stephano Belvacensi studuit » usum fuisse fingemus, neque id immerito, nam constat omnes hujus ætatis magistros « ad Bernardi Carnotensis formam discipulos suos informavisse[3]. »

[1] Cf. apud Migne : Epistolas Gaufridi (CCV) J. Sarisberiensis (CXCIX) P. Blesensis (CCVII). Sermones Garnerii Lingonensis Episcopi (CCV). Petri Comestoris (CXCVIII). Helinandi, abbatis Frigidi montis (CCXII) Verbum Abbreviatum Petri Cantoris (CCV), etc., quæ omnia scripta antiquorum spoliis, id est versibus aut sententiis sunt onerata. In contione de J. C. Ascensione habenda, Helinandus profert Horatium, Quintilianum, Salustium, Statium, Terentium, Ciceronem, Juvenalem, Virgilium, Ovidium et Lucanum.

[2] J. a. Vit. Ib.

[3] Quidquid de Bernardo Carnotensi dico, id e J. Sarisberiensis Metalogismo protuli (Migne. CXCIX, 823-856.).

Innumeros [1], procul dubio, cum carminum, tum historiarum scriptores Gualtherus assidua manu versavit; neque tamen quidquid unquam scriptum est coactus fuit legere; namque « *inter virtutes* grammatici merito reputatum erat aliqua ignorare » ita quidem « ut ea viderentur sufficere quæ, a claris scriptoribus scripta erant. » Qua de re Bernardum ipsum audiamus, haud immerito dicentem : « Persequi quid quis unquam contemptissimorum hominum dixerit, aut nimiæ miseriæ, aut inanis jactantiæ est, et detinet atque obruit ingenia, melius aliis vacatura. »

Neque, in explanandis antiquorum poematibus aut historiis, judicio minus probabili Bernardus utebatur. « In auctorum lectione quid simplex esset et ad imaginem regulæ positum ostendebat; figuras grammaticæ, colores rhetoricos, cavillationes sophismatum, et qua parte suæ propositæ lectionis articulus respiciebat ad alias disciplinas, proponebat in medio : ita tamen ut non *in singulis universa* doceret [2], sed pro capacitate audientium, dispensaret eis in tempore doctrinæ mensuram. »

[1] Præter ceteros qui in scholis celebres sunt, profuit mihi frequenter inspicere... C. Tacitum. T. Livium... et alios quorum non est numerus. Petri Blesensis. Ep. 101 (Migne, CCVII. 312.).

[2] Illud vero accidit ut non eumdem, quem magister, modum discipuli servaverint, atque *in singulis universa* aut dixerint aut docuerint (Vide IV.).

Quam multa juvenes sic addiscere potuerunt ! Adde quod magister, quemcumque apud antiquos exquisitum locum notaverat, discipulos cogebat ediscere. « Ex singulis aliquid reconditum in memoria, diurnum debitum , diligenti instantia exigebat. » Porro, diligens illa instantia declarat Bernardum, magisterii indicium et insigne, accepisse Orbilii virgam, qua pro virili parte utebatur. Nimirum, nullus tum bonus censebatur magister, quin discipulos plagis stimularet.

Sed tum gnavissima erat, in discipulis verberandis, Bernardi dextra, cum eos vellet « scribendi peritiam, quæ habetur ex imitatione, comparare. Ad imitandum ea quæ audierant, alios admonitionibus, alios flagellis et pœnis urgebat. » Discipulis Bernardi frequens erat ille, ad exemplar antiquitatis, scribendi labor : « prosas et poemata quotidie scriptitabant [1]. » Quo in opere, judicio adeo subtili eos regebat magister ut Flaccum, terribilem illum servi pecoris exagitatorem, sibi conciliasset. Nam, si quis « suo operi alienum pannum inepte assuerat, deprehensum redarguebat furtum... sed pœnas sæpissime non infligebat. »

Quam Bernardi disciplinam hactenus possum cumulatissime laudare ; nec vero mihi displicet illum semper « eam materiam sibi proposuisse, qua fides ædificaretur et mores animarentur ad bonum. » Sed

[1] Cf. Guibert de Novigento. De vita sua. I. 15 (Migne, CLVI).

illud accidit ut pietate sua ad interpretationem poetarum admodum insulsam raperetur. Obstupuisset procul dubio Virgilius si Bernardum ludos, quos ad tumulum patris Æneas instituit, sic explicantem audivisset :

« Quatuor certamina ad honorem patris celebrat qui, demissa juvenili luxuria, quatuor virtutum exercitia in virili ætate Deo immolat. Per certamen cæstuum quod plumbi massa geritur, accipe fortitudinem, qua pondus laboris perfertur. Per cursum vero equestrem vel pedestrem, quo equorum vel hominis velocitas deprehenditur, accipe prudentiam, qua rerum instabilium cursus et instabilitas agnoscitur. Per certamen in quo spicula eminus mittuntur, intellige justitiam, per quam nociva longe removentur [1]. »

Nihil jam mirum si Gualtherus, ceterique poetæ illi æquales, qui Virgilium sic intellegere jussi fuissent, eam in canendo, invita sæpius Minerva, morum ostentabant sollicitudinem.

Neque magis ignoverim hujus temporis magistris quod vera, non ficta, versibus mandare discipulos assuefaciebant. Errat sane Petrus Blesensis qui dicit : « Scio mihi plurimum profuisse quod, cum in arte versificatoria parvulus erudirer, præcipiente magistro mihi, materiam non de fabulis, sed de historiarum veritate sumebam [2]. » Non alia quærenda

[1] Demimuid. 39.

[2] Ep. laud.

est causa cur, XII° seculo, poetæ adeo exiles fuerint et aridi : Castalium fontem contemnere a pueris didicerant.

Ex umbraculis grammatici, in solem et pulverem processit Gualtherus, ut dialectico duce militaret. Tum dux omnium celeberrimus Abælardus, quo nullus majore discipulorum acie stipatus. Non ausim affirmare Gualtherum, Abælardo magistro, initium armorum fecisse, quippe qui forsan junior esset ; illius tamen partes secutus est, quantum equidem ex his versibus intellego :

> Hanc logicam) doctorum multiplex asserit ratio :
> Sed cunctos preradiat nova constitutio,
> In qua rebus derogat Baelardi sanctio,
> Attributo vocibus rerum privilegio. (R. IX.)

Tum erat dialecticis cura aliqua eleganter disceptandi, propterque eam causam artis oratoriæ præceptis satis naviter incumbebant. Ex optimo fonte Gualtherus, cum æqualibus, dicendi artificium hauserunt ; nam Parisiaci rhetores discipulis suis « Tullii et Quintiliani flores quotidie perorabant [1]. »

Peragrato trivio, Gualtherus quadrivium intravit. Quod postquam emensus est, non tanta exsultavit lætitia, quanta æquales. Spatium quod percurrerat, neque id semel, ut opinor, respexit, mærens quod ante statuas illas, quarum venustatem et pulchritu-

[1] Bul. II. 28 « illos.. cum quibus Ciceronis aureos flores legi et elegi. » (P. de Riga. Prol. Migne CCXII. 19.)

dinem, tametsi mutilæ erant, intellexerat, sibi non licuerat stare. Tempori suo ille quidem non defuit; quæ prodessent potius quæsivit, quam quæ delectarent : Christianos ad bonam cumulatamque virtutem promovere, Ecclesiam honestare, eamque gladio, quem sibi *ex Ægyptiorum spoliis* confecerat, defendere, cum primis conatus est. Sic exercitum cui nomen dederat non deseruit; at animo tamen excurrit, et per illorum choros poetarum vagatus est, qui satis hominum felicitati se fecisse arbitrabantur, cum jucundissimos cantus fudissent. Quidquid scripsit Gualtherus, quidquid cecinit, ætatem qua D. Bernardus floruit non dedecet; idem rursus non nulla modulatus est, quæ Virgilii temporibus satis congruant.

CAPUT II

Gualtherus litteras Castellione docet. — Libellum in Judæos et Rhythmos componit.

Cum multos annos Gualtherus didicisset, dignus visus fuit qui vicissim doceret, et magister vocaretur. Cujus tituli ea commendatio erat, ut nullus prope fuerit scholarum magister, quem Ecclesia ad summos honores non evexerit. Asserunt quidam Gualtherum Parisienses scholares docuisse [1] quod, meo quidem judicio, non satis constat. Annumerat illum unus et alter magistris scholæ Laudunensis [2] : quam opinionem veram esse velim. Nulla enim oppidana schola Laudunensi clarior, nulla optimis magistris spectatior, turba discipulorum frequentior nulla [3].

Quidquid vero est, Gualtherus Castellione ad Matronam scholas rexit, quo in oppidulo tamdiu

[1] Remis et Parisii laudabiliter scholas rexit, I. U.

[2] Lauduno scholas rexit. O. X.

[3] *Histoire littéraire de la France*, IX, 33.

moratus est ut Castellionensis dictus fuerit [1]. Indicant hæc ejus verba :

. . . . . rapuit Castellio nomen.

Porro, illud erudiendorum puerorum munus ita exercuit, ut pateat magistros disciplinæ clericali, qualem modo adumbravimus, non omnino frustra conatos fuisse illum accommodare. Nulla enim tam proposita illi res est, quam ut discipulos ad virtutem colendam impellat. Vanum est, ait,

Vanum est scholaribus ante lucem surgere
Cum nil boni percipiant de eorum opere...
Sed licet herentes exstirpet fisica morbos...
Quid prodest status exterior, si sorbeat intus
Languidus et vicii febre sepultus homo ? [R. IX.]

Omnes artes liberales, atque adeo grammaticam ipsam postquam detrectavit, protinus exclamat : Ergo in theologiam incumbamus. Illa enim est omnino felix scientia quam qui colunt, uberrima fructuum segete remunerantur [2].

[1] Maxime apud Castellionem moratus est a qua scilicet nomen accepit [O]. Consentiunt omnes codices qui de Gualthero aliquid habent.

[2] Transferamur igitur ad ordinem tertium.
Id est ad theologos quorum felix studium...

Idem, de illo rhythmo, sentit Wright « It appears to be the « work of a writter who was opposed to the secular learning, « and who endeavours to show the vanity of the sciences « taught in the schools, and the surpassing excellence of theo- « logical studies. » [Anecd. lit.]

At Gualtherus tamen, quanquam in his quæ ex usu essent quærendis tantum laboravit, non commisit ut in partes Cornificiorum descenderet, qui pro suæ disciplinæ fundamento hoc effatum habebant :

. . . . . Rem, facias rem,
Si possis recte, si non, quocumque modo rem.

Iis dialecticam in omnium artium locum substituere placuerat ; itaque boni magistri laude illum cumulabant, cui nihil antiquius esset quam ut discipulos captiunculis irretiret. Nimirum istis verborum aucupibus « insolubilis quæstio habebatur, an porcus qui ad Venalitium agitur, ab homine an a funiculo teneatur. Item, an capucium emerit, qui cappam integram comparavit. » Tum summum in discrimen adductæ litteræ fuerunt. Nam « poetæ, historiographi Cornificiis habebantur infames, et si quis incumbebat laboribus antiquorum, notabatur, et non modo asello Arcadiæ tardior, sed obtusior plumbo vel lapide omnibus erat in risum. »

Ceterum pueros in dicendo non longos annos detinebant, eosque brevi pronuntiabant dignos qui docerent : « Fiebant ergo summi repente philosophi, nam qui illitteratus accesserat, fere non morabatur in scholis ulterius, quam eo curriculo temporis, quo avium pulli plumescunt. Itaque recentes magistri e scholis et pulli volucrum e nidis, sicut pari tempore morabantur, sic pariter avolabant [1]. »

[1] J. Sarisb. Metal. I. 3 (Migne, 827.).

Periculum erat ne discipuli, quos suum ingenium ad captiones plus æquo jam rapiebat, ad istas scholas convolarent, e quibus docti quam primum evaderent. Verum a consilio adeo funesto discipulos suos sani deterruerunt magistri, quibus socium procul dubio se poeta noster adjunxit. Tum nemo veteris disciplinæ patronus studiosior, quippe qui pueros per aliam, quam trivium et quadrivium, viam duci posse minime suspicetur.

Grammaticam, ut æquum est, « domui sapiencie » dat fundamentum, eamque, adjuvante *Prisciano* et *flagello*, docendam decernit[1]. Præterea, adeo discipulos a legendis poetis non deterret, ut doleat eos magis nummos quam Virgilii Lucanique et Statii carmina curare. (Rhyth. VIII.) Non sane Cornificius sed fautor veterum ille est, qui sic depingit Logicam et Rhetoricam :

Subinfertur Logica grandi supercilio,
Discolor sentenciis et accincta gladio,
Per quam fa'sum resecat logicorum ratio...

Tertia subsequitur species rethorice
Domum sapiencie poliens mirifice,
Apprehendit siquidem mercturam grammatice
Quam, postquam purgaverit sub censura logice,
Depingit coloribus et verborum murice. [R. IX.]

[1] Inter artes que dicuntur trivium
Fundatrix grammatica vindicat principium (R. IX.).
Hic Priscianus est dans palmis verbera (R. IV.)

Quæ postquam Gualtherus effatus est, projecta virga, lyraque Virgilii arrepta, hæc canit ut discipulos ad omnes artes perdiscendas adducat :

Esto secundus Atlas : dicas quo sydere frugis
Defectum patiatur ager ; quis frugifer annus,
Quum nives producat hyems ; quo veris in ortu
Temperies impinguet humum ; cur ardeat estas ;
Cur legat autumnus pregnantes ebrius uvas ;
Circulus an possit quadrari ; an musica verset
Celestes modulos : dicas quis sydera septem
Impetus obliquo rapiat contraria mundo.
Quot distent a se gradibus ; que stella nocivum
Impediat sevire senem ; quo sydere fiat
Obice propitius ; Martem quis temperet ignis :
Parva loquor, totum celum sub pectore claudas.

Agnovisti poetici illius ingenii impetum, quo Gualtherum supra magistros et condiscipulos sæpe raptum fuisse asseveravi. Quæ vis adeo imperiosa est ut illum, controversia theologica humi, ut ita dicam, depressum, abripiat .

Libellum in Judæos [1] — namque in officiis quæ didicit clericorum esse propria, nunquam non curiosus est — *scribere* instituit. Jam omnium, quæ prophetæ effati sunt, oraculorum ponderibus satis placide usus est ; jam innumeros Scripturæ sacræ locos, animo

[1] Tractatus sive Dialogus Mgri Gualtheri et Balduini contra Judæos (Migne, T. CCIX, 452).

pæne sedato, contorsit cum, sui impotens, exclamat : Adeste, o Judæi.

Et cantare pares, et respondere parati.

Quasi agatur de poetica illa pugna quam Virgiliani pastores olim conserebant.

Quibus vero theologicis rationibus adversarios suos opprimat, ad hujus opusculi institutum nihil pertinet inquirere ; satis proposito meo fecero, si notavero illum et christianos et *gentiles*, sine ullo delectu, ut tum fiebat, socios sibi advocare. Sic mysterium Trinitatis dum probat, cum jam in eo est ut *terni numeri convenientiam* ostendat, adversarium prorsus improvisum, Virgilium, sic Judæis opponit :

« Hic est numerus de quo poetam somniasse credi-
« derim qui dicebat :

Trina tibi hæc primum triplici diversa colore
Licia circumdo, terque hæc altaria circum
Effigiem duco.

« Et quasi exponens unitatem ternarii, quare ista
« ter fieri jusserit, adjungit dicens :

. . . . . Numero Deus impare gaudet,

« Et iterum :

Necte tribus nodis ternos Amarylli colores. »
(Ecl. VII. 73 77.)

Vides quam prompto animo gladium illum quem,

jubente magistro, *ex Ægyptiorum spoliis* confecit, Gualtherus destringat !

Sed Gualtherus otium suum, in lacessendis Ecclesiæ hostibus, ita consumebat ut tentaret tamen quid in poetica posset facere. In periclitandis autem ingenii viribus, potius æqualibus quam antiquis usus est magistris, atque rhythmos composuit, quo carminum genere nihil tum vendibilius. Revera, quoscumque sacros aut profanos cantus vulgus in ore habebat, ii rhythmici erant, id est, ea ratione conditi ut e certo numero syllabarum, quæ eumdem in cadendo redderent sonum, constarent. Illas præter leges observatas, artificiosæ operæ indicium, in rhythmis, prope nullum : impetus sane aliquis ; nullus limæ labor; verba ad cotidiani sermonis consuetudinem sæpius accedentia ; litteris immutatis aut repetitis quæsitæ identidem venustates ; inhumanis auribus satis ; non satis teretibus.

Jam vero decem exstant rhythmi Gualthero ascripti, de quibus mihi est aliquid dicendum, nono tamen excepto quem, quia ad artes liberales pertinet, per omnes hujus opusculi partes dispertitum invenias et æstimatum. Primum omnium, magistrum Castellionensem, quod clericum scientiæ sacræ debere didicerat, diligentissime exsolvisse animadverto. Sic illi rhythmum decimum devovet, in quem psalmum quinquagesimum dilatavit, neque id injucunde :

Miserere mei, Deus,
Quia miser, quia reus
Delictorum oneri,

Atque jugo subjugatus
Ad te clamat epulatus
In fermento veteri.

Miserere mei, Deus,
Luctus, clamor, dolor meus,
Ad te, Christe, veniat !
Audi flentem peccatorem,
Dum non habet redemptorem
Nec qui salvum faciat.

Musam popularem Reginæ scientiarum, illum in modum, iterum et sæpius jubet famulari; iterum et sæpius versus suos Scripturæ sacræ luminibus exornat : neque enim rhythmi ceteri, quanquam in vellicandos hominum mores intenti sunt, clericali illo carent quasi condimento. Veluti rhythmum quartum, quo nihil in hoc genere scripsit longius, ad exemplar Apocalypsis fabricatus est. Fingit Angelum ad se, ut ad divum quondam Joannem, descendisse :

Dum vulgi censeo gestus innumeri,
Accessit angelus vultus siderei,
Qui dixit « suspice et celos aperi,
Et vide cito que oportet fieri. »

Suspexi celeri celos intuitu,
Et fui postea statim in spiritu
Tractus per ethera miro circuitu,
Celorum positus tandem in aditu.

Sed fulgor fulguris, quod circumfulserat,
Primos intuitus inde reverberat ;
Et dixit angelus qui mecum aderat,
« *Siste, videbis que Johannes viderat.* »

Visa conscripserat ille mysteria
Septem ecclesiis que sunt in Asia :
Tu scribes etiam. . . .

Scripsit igitur, Angelo dictante, Gualtherus, id est, in omnes cleri ordines Apocalypsim transtulit. Nec vero ab Ecclesia sic deficiebat. Quemadmodum enim medici, alienis morbis sibi expellendis non nunquam ipsi invaduntur, ita, XII. seculo, presbyteri, iique neque pauci, neque infimi, infecti fuerant vitiis quæ debuerant expurgare. Quos Ecclesia — nam quæ in suos irrepserint vitia solet prima omnium patefacere, nedum occultet — gravissimis pœnis, cum sæpissime, tum apertissime affecit.

Jam vero mihi liceat illos qui rhythmos de perditis prælatorum moribus, a Gualthero conditos, primi in lucem ediderunt, paucis refellere. Cum ab Ecclesia descivissent, illorum intererat ut, quam deseruerant causam, illam pessimam esse demonstrarent. Quantum isti elaboraverunt ut ubique colligerent, unde se posteris purgarent. Quot bibliothecas perscrutati sunt ! quot excusserunt chartas ! In cassum desudaverunt, namque in promptu habebant quod tanto labore sibi comparaverunt. Quin decreta conciliorum et piorum libros virorum evolvebant ? Clericos concubinos, abbates prælatosque avaros Gualtherus insectatur ! Ergo commilitat Ecclesiæ, non adversatur.

Pergit magister iisdem armis pugnare, quibus discipulus cinctus est, atque ab antiquis plerumque assumit tela, quæ in pessimum quemque contorquet.

Sive nocentes castigat, sive eos ad bonam frugem tentat reducere, illi plerumque aliquis veterum poetarum locus occurrit, quo sententiam fulciat et concludat. Sic a Juvenale mutuatur, unde nervosius significet se non posse quin scribat satiras :

Si natura negat, facit indignatio versum (I.)
Difficile nobis est satiram non scribere (II.).

Ab Horatio, exprimendi causa qua vitiorum varietate ætas sua distinguatur, versum illum sumit :

Quo teneam nodo mutantem Protea vultus ? (VI.)

In istos qui se, quasi voto, ad omnia audenda teneri putabant, illud Ovidii confert :

Jupiter, ecce pium statuit quodcumque juraret ! (VI.)

In hos vero qui plus quam satis est bibebant, illud Horatianum :

Potores bibuli media de nocte Falerni (II.).

Cum eodem poeta sortem populi, qui pro principibus pœnas luit, miseratur :

Quidquid delirant reges plectuntur Achivi (II.).

Denique, ut vitiosissimum quemque ad pœnitendum quam primum impellat, illud Lucani profert e memoria :

Tolle moras : semper nocuit differre paratis (I.)

Ita bellandi rationem quam, XII° seculo, clerici sollemnem habebant Gualtherus observat. At perfectiorem quamdam artem mox attentavit. Postquam antiquos socios et adjutores bellorum

suorum diu assumpsit, e consuetudine illorum miles, ut ita dicam, evasit antiquus, aususque est, marte suo, illam militiæ disciplinam affectare, quæ ad Virgilii tempora prope accedat. Tum illos aggressus est qui Ecclesiæ plurimum nocebant : Henricum dico II, Anglorum regem, atque imperatorem Fredericum, quorum prior divum Thomam, Cantuariensem archiepiscopum, interfecerat, posterior, in locum justi Papæ Papam *injustum* ter, per vim, conatus erat Ecclesiæ imponere. Dum Fredericus Alexandrum III totis viribus impugnat, audet Gualtherus proclamare « *Papam esse summum et Imperatorem sub ipso.* » (R. V.) Cujus rhythmi initio friget ; lentus est, quippe cum argumentis theologicis impediatur ; sed illis tandem remotis calet, irruit, assurgit, hæc vaticinatur :

Alexander Macedo, domitor terrarum,
Tribus vicibus vicit principem Persarum ;
Alexander pontifex et dux animarum,
Jam ter vicit regem tenebrarum.

Accipe per Darium hunc imperatorem,
Qui presumpsit clericis ponere pastorem ;
Ter devicit pontifex scismatis auctorem....

Hiis successit tertius novus Antichristus
Spiritu quem destruet oris sui Christus ;
Nam quod Theuthonicis est injuste mixtus,
.... mortis calicem gustabit Calixtus.

En tandem poeta noster excitatus : jam quiddam epicum canet. « Contemplabar, inquit, seculi tenorem, mihique videbatur Deum homini, quem sinit a via

recta deflectere, cum idem per certas methodos et leges æternas elementa copulat, non eamdem quam naturæ curam adhibere. » (R. VII.)

Hec dum mecum scriberem sensibus attentis,
Totus in suspiriis, totus in lamentis,
Rapuit me spiritus in excessu mentis....
De Centauris cogitans et gigantum yle,
Dum curarum premerer ponderosa mole,
Audivi cum cimbalis et sonitu viole,
Convenire domones ab utroque sole.

Tergeminus janitor *silentum* adest ; adsunt Parcæ ; sibilo *serpentum* loca remugiunt ; nec vero deest Antichristus qui, quod a Fato in terram ascendere prohibetur, his verbis indignatur :

Pape ! que jam mora me tenet nasciturum ?
Fatum, quid me detines seculo venturum ;
Pande fores ; quid me sic tenes exiturum ;
In deo Beelzebub transgrediar murum,
Jam signa judicii cuncta contigerunt....

Tum jubet Alecto sibi in superas auras præire, ut hominibus Antichristum mox venturum prænuntiet.

Hiis Alecto vocibus graviter accita
Fremit ire stimulis in se lacessita ;
Igitur pre rabie vomens aconita,
Diu torquens oculos, tandem cepit ita :
Ut quid queris alium tibi precursorem
Quam illum Britannie perversum rectorem ;
Qui triplici gladio, contra jus et morem,
Impudenter messuit sacerdotum florem.

Protinus, tonante sororis voce commota, Tisiphone accurrit,

Precincta velamine luctus et horroris ;
Quod mente conceperat eructavit foris.

Igitur dum legio serpentina strepit,
Dum circa cesariem et in ora repit,
Ubi toto pectore furias concepit,
Hoc verborum fulmine debaccari cepit.

Federicum Cesarem optime vidisti,
Illum per quem scismatis semen sevisti ;
Idcirco scismatice genti prefecisti ;
Quis precursor melior foret Antichristi?...

Ecce dies veniunt quibus homo fiam...
Rachel michi serviet et cecabo Lyam.

Denique jubet dæmones ad illos usque dies in inferis latere.

Ite, dispergimini per anfractus mundi,
Ad vos omnes trahite in centrum profundi ;
Illi corripiunt fugam gemebundi.

Ausim affirmare nihil, Virgilii ætate, grandius fuisse excogitatum. — At enim opus suum potius dolavit iste quam perpolivit ; potuit sane, in verbis eligendis aut collocandis, plus curæ et laboris insumpsisse. — Quid tandem ? Ad illorum intellegentiam se accommodavit, quorum suffragia captabat ; neque id sine magna mercede. Nam populus rhythmos Gualtheri diffudit, sic ut is potuerit de se canere :

Perstrepuit modulis Gallia tota meis.

Ergo Gualtherus a Musis servilia numera, tum illis imposita, non neglegebat expetere ; sed ea ita accipiebat, tanquam deas ex illo quasi pistrino educere, atque in pristinum regnum restituere meditaretur.

CAPUT III

Gualtherus scholis Remensibus præficitur. Ad pugnam poeticam a Mathæo Vindocinensi provocatus, Alexandreida scribit.

Gualtherus, ex quo rhythmi, de quibus supra scripsi, in ore omnium erant, majorem sibi comparaverat famam quam ut Castellione diutius delitesceret.

Florebat tum Remis Henricus I, cujus archiepiscopi « ea erat in viros doctos propensio et liberalitas, ut quos fovere posset apud se retineret, subsidio eis collocato, ad decus et ornamentum ecclesiæ suæ[1].. » Is existimavit, neque immerito, haud mediocre decus scholis Remensibus accessurum esse, si vir tantus illis præficeretur[2]. Illum igitur Castellione accivit qui Remis doceret; quod Gualthero magno fuit honori, nam scholæ Remenses[3], Parisiacarum æmulæ, ea discipulorum frequentia celebrabantur, *ut clerici cives multitudine prope vincerent*[4].

[1] Gal. Ch. IX. 94. D.
[2] Marlot, III. 436. IV. 325.
[3] Hist. lit. IX. 32.
[4] Martenne, III. 1712.

Nec vero ea causa sola erat cur Gualtherus Remis gravissimam personam sustineret, quippe qui, præter illud docendorum puerorum munus, in quo plerumque detinebatur, alia suscepisset officia, quæ ipsi maximam afferrent auctoritatem. Scholasticus enim, maximeque Remensis, « debebat in choro auscultare lectiones legendas et instituere lectores, [1] » atque apud episcopum et canonicos cancellarii vices gerebat, siquidem irrita habebantur instrumenta quæ ipse nec dictaverat nec approbaverat [2].

Quas partes amplissimas quam honeste Gualtherus defenderit, illud nobis indicio est quod eas, Guillelmo Senonensi in Henrici defuncti locum suffecto, continuavit.

Interim « magister Vindocinensis et magister Gualtherus altercati erant uter melius versificaret (O) » consertaque fuerat illa de litteris pugna, in qua poeta noster æquales, meo quidem judicio, exsuperavit. Sed ne pars illa propositi mei obscura videatur, primum quid, XII° seculo, de provincia poetis committenda censeretur, explanabo.

Sane, divino illo afflatu quo vates excitantur, Gualtheri ætas fuit instincta, neque rari tum poetæ : vel ii cantores vagi qui optimates cantibus suis recreabant, quam dulcia, quam lepida, vernaculo sermone, modulati sunt ! quam pæne majestatem epicam aliquando attigerunt ! Illi quidem *joculatores* persi-

[1] Arch. Reims. 2e Partie I. 16. 30.
Rangeard II. 171. Baluze II. 208.

miles erant poetis, quos Plato e Republica sua expulerat, quod eorum carmina civibus emendandis omnino non prodessent. At vero clericos illos, qui ad canendum interdum fuerunt aggressi, quam lætus idem excepisset! Ii cives vere utiles qui, in his populo procurandis quæ ex usu essent, vim ingenii consumpserint; ii germani sapientes qui, quidquid ad discendum aut bene vivendum non conduceret, flocci non fecerint! Legerant quidem in scholis sermonem quem de Arte poetica Flaccus instituit; sed magistri illud:

Omne tulit punctum qui miscuit utile dulci,

sic correxerant:

Ferre cupis punctum? Utilibus ne dulcia misce.

Quæ fabricati sunt poemata, vix aliud sunt quam præcepta quædam ideo in numerum redacta, quo facilius ediscerentur. Quare, quæ tum *in scholis* fuerit poesis ille cum primis tenet qui, cum dialecticæ daret operam, hos versus edidicit:

Terminus esto triplex, medius, majorque, minorque.
Latius hunc quam præmissæ conclusio non vult.
Nequaquam medium capiant conclusio fas est...

Quæ ne videar temere contendisse, poetas ipsos quibus tum primæ deferebantur, certissimos in meam sententiam testes proferam. Nam quem auctorem, illa de re, locupletiorem laudare possum Matthæo Vindocinensi, a quo Gualtherus ad pugnam poeticam provocatus fuit? Porro Petrus de Riga et Ægidius Parisiensis, quos scholasticæ poesis existimator quidam, haudquaquam spernendus, Guillelmus Brito, cum

poeta nostro contulit[1], nonne testes gravissimi? Tum Joanni Sarisberiensi, quem Justus Lipsius ipse laudavit, quis fidem non faciat[2]?

Jam ex illis audiamus qua mente poemata sua susceperint, qua ratione absolverint. Matthæus Vindocinensis se, *ex agro veteri, ubi justitiæ ampla seges pullulat, virtutum semina voluisse colligere*[3] profitetur; Petrus de Riga, *consona fidei salutique*, ut ait, *ideo loquitur ut sibi et fratribus Deum munificum conciliet*[4]. Declarat Ægidius Parisiensis se moralibus longius uberiusque moratum fuisse[5]; namque, inquit,

Nil æque cupio quantum ut sit fructus in istis,
Mentem lectoris ædificasse mei[6].

Nec vero ab illis discrepat Joannes Sarisberiensis qui, quod ab *Aletheia* et *Phronesi* vitæ *regula sancta manet*, virginibus illis auspicibus cecinerit[7].

Scilicet Aletheia illa, quam Joannes Sarisberiensis magistram canendi elegit, veritas est omnino nuda.

Nam deformatur quoties extrinsecus illi
Cultus adest : fucos virgo beata fugit.

[1] Gesta ducis Macedum celebri describere versu
Si licuit, Gualtere, tibi....
Si tibi, Petre Riga, vitium non esse putasti...
(Rer. gall. script, XVIII, p. 118)
O si Gualterus illo vel Ægidius esset
Tempore ! (ib. p. 286)

[2] Migne, XIII.

[3] Migne, CCV. 933.

[4] Migne, CCXII. 19. 20.

[5] . . . . . moralibus autem
Longius uberiusque moror (Carolinus, Rer. gall. XVII, p. 300.).

[6] Ad Auroram prologus (Migne, CCXII, 20.).

[7] Entheticus 18 (Migne, 965.).

Cavit quoque Ægidius Parisiensis ne virgo *cultu extrinseco deformaretur*,

quia ficta sequendo
Res reperire novas, et nomina fingere rebus
Visum *turpe* fuit [1].

Neque aliter sentiebat Petrus de Riga : tametsi nolo illi attribuere verba ista, quæ non uni Auroræ exemplo præscripta inveni : Quidam « circa figmenta poetharum, puerorum nenias desipientes, tempora sua in nugis misera demissione consumunt, et scenicas nichitelas, et de siliquis porcorum nutriri cupientes, .. in medicos nichil salutis conferentes, totam suam (curam) expendunt [2]. »

Denique, in istiusmodi maledicta Matthæus Vindocinensis erupit.

Porcorum siliquis pudor est inhiare favillis,
Pieriis pudor est inservisse stylum [3].

Ceterum poema suum de industria jejunum esse et aridum etiam atque etiam denuntiat [4]. Nonne artem poeticam, in scholis tunc traditam, jure in hunc versiculum coegi :

Ferre cupis punctum ? Utilibus ne dulcia misce .

Porro, illi sicci versuum mensores in duo cantandi genera divisi sunt. Alii allegoriam effuderunt, quos inter eminuit Alanus de Insulis, qui istiusmodi som-

[1] Carol. Ib.
[2] Codd. And. 507. 508.
[3] Migne, Ib. 934.
[4] Verborum placuit macies, infantia metri
Floris egena, carens schemate, nuda tropis...
Vera negant pingi, etc. (Migne. CCV, 978.)

nia cecinit : « Artibus liberalibus injungitur ædificatio currus Prudentiæ. Grammatica facit temonem in curru Prudentiæ. Quomodo Logica ex ferro axim conficiat. Arithmetica; ejus forma, usus; conficit primam rotam in curru Prudentiæ, scilicet quinque sensus. Primus equus visus est ; secundus auditus ; tertius olfactus ; gustus quartus ; tactus quintus[1]. » A capite usque ad calcem, non alius est Anticlaudianus, de quo tamen poemate quidam cecinit :

Ut rosa flos florum, sic est liber iste librorum ;
Metra modernorum superans et metra priorum,
Vernat enim florum specie cultuque decorum [2]

Quos autem ingenium suum in allegoriam non impellebat, ii historico alicui ad verbum reddendo adhærebant[4]. Tum historia sacra præcipue in versus fuit conclusa, namque, ut aiebant, *in ea honeste sentencie ad morum informacionem* quam plurime continentur, neque ullus liber melius mentes legentium ad virtutem et ad theologicam disciplinam præparat, *quam Biblia versificata* [3].

Qui Gualtherum ad pugnam provocavit, ille partem Historiæ sacræ, librum Tobiæ, versibus mandare statuit, utpote qui se, illo pacto, æqualium suffragia esse laturum speraret. Ut enim quisque optime cane-

[1] Migne, CCX.
[2] Cod. Andeg. 510.
[3] Jac. Vit. f° 31.
[4] Les poètes latins du XIIe siècle sont nombreux et quelques-uns remarquables... leur travail s'est presque toujours borné à versifier, avec une fidélité plus ou moins grande, des originaux en prose... (G. Paris. 32.)

bat, ita vehementissime a sodalibus sollicitabatur ut Scripturam sacram versibus scriberet [1]. Quod si quis hujusmodi votis obsecundare cunctaretur, tum vero vulgo explodebatur, nec secus ac nugatorium opus deridebatur quidquid, Scripturæ sacræ loco, numeris astringebat [2].

Gualtherus contra à via tum vulgo trita deflectere, atque in curriculum illud, in quo antiquorum vestigia impressa sunt, ingredi conatus est. At quantis tamen et quot in rebus sequitur æquales, quasi timeat ne transfuga vocetur! Sic potuit liber evolare atque se ipse in servitutem redegit, cum Quinti Curtii Vitam Alexandri Magni numeris instruere decreverit. Sane, non minus in illum, quam in Matthæum Vindocinensem, cadit hoc Petronii judicium : « Non res gestæ versibus comprehendendæ sunt, quod longe melius historici faciunt; sed per ambages Deorumque ministeria et fabulosum sententiarum tormentum, præcipitandus est liber spiritus, ut potius vaticinantis animi vaticinatio appareat, quam religiosæ orationis sub testibus fides [3]. »

[1] « Frequens sodalium meorum petitio... ut librum Geneseos stylo metrico depingerem.... instanter persuasit.... Petitioni sodalium obviare formidabam.

Neque enim fas erat offendere illos... Assidua ergo sociorum prece devictus... etc. » (Pet. de R. Migne CCXII. 18-19.)

[2] Inceptum Moysen jam repetunt socii
Scilicet insultant Genesim quia dimidiavi
Defessusque via substiterim media.
Improperant nugas quas scriptito.... (Baldr. Burg.)

[3] Satyricon 118.

Adde quod, cum omnia ad moralem philosophiam Quintus Curtius satis libenter converterit, periculum erat ne Gualtherus, ut vitam Alexandri in usum vitæ christianæ plus æquo transferret, exemplari adduceretur. Re quidem vera, adductus ad id fuit atque plurima in poema suum intrusit, quæ ad theologicas disputationes aut contiones sacras quanto aptius reservasset! Ecquid poetam nostrum, ad studia scholastica sic revolutum, ab omni re intempestive dicenda aut docenda jam poterat avocare?

Nullo igitur in historicorum numero Gualtherum habebimus, quanquam antiquis, historiæ scribendæ magistris, sæpius usus est quam æquales. Illud vero in summis ejus laudibus feremus, quod Musam suam aliquot ornamentis, et iis quidem e veterum armariis plerumque depromptis, honestavit. Sic scholasticos poetas exsuperavit, qui poematum exornandorum industriam respuebant; sic vicit joculatores. Quippe illi Vitam Alexandri, lepore quodam poetico condiendam non semel susceperunt, sed eam nescio quibus fabulis, vel potius ineptiis referserunt, ut cantilena quædam puerilis aut anilis nenia omnino esse videatur.

Patet jam qua ratione Alexandreida sim perpensurus. Quæram primum quo pacto historicorum vestigia Gualtherus fuerit secutus; deinde, quem inter poetas locum obtineat[1]. Qua in utraque parte, ut illud ego opusculum mihi constanter persequar, quæ pro æquali consuetudine fecerit, quæ pro antiqua, exquiram.

[1] Cf. O : Iste actor materie sue stilum *hystoriographum* accommodans, *poetas* non relinquit, sed in exsecutione istius operis, in locis quam plurimis figmentum inducit. »

CAPUT IV

De Gualthero historico, id est, quem inter Alexandri historias locum Alexandreidi assignare deceat.

Vidimus illos qui, XII° seculo, in historia aliqua numeris instruenda elaboraverint, sibi statutum habuisse « nihil adjicere, nihil immutare rerum veritati [1]. » Cui poetarum æqualium mori adeo obtemperat Gualtherus, ut a Q. Curtio plerumque non audeat discedere. Quam fidus interpres fuerit, hoc unum, inter sexcenta, exemplum plane ostendet :

[1] Cap. III.

EX ALEXANDRI VITA

Si me cum ignavis, inquit, et pluris qualemcumque vitam honesta morte æstimantibus, fortuna junxisset, tacerem potius quam frustra verba consumerem ; sed majore, quam vellem, documento, et virtutem vestram et fidem expertus, magis etiam conniti debeo, ut dignus talibus amicis sim, quam dubitare, an vestri similes adhuc sitis.

Ex tot millibus, quæ sub imperio fuerunt meo, bis me victum, bis fugientem persecuti estis. Fides vestra et constantia, ut regem me esse credam, facit. Proditores et transfugæ in urbibus meis regnant : non, hercule, qui tanto honore digni habeantur, sed ut prœmiis eorum vestri sollicitentur animi. Meam tamen fortunam, quam victoris, maluistis sequi, dignissimi quibus, si ego non possim, dii pro me gratiam referant ; et, mehercule, referent. Nulla erit tam surda posteritas, nulla tam ingrata fama, quæ non in cælum vos debitis laudibus ferat.

Itaque, etiamsi consilium fugæ, a qua multum abhorret animus, agitassem, vestra tamen virtute fretus obviam irem hosti... (V. 8.)

EX ALEXANDREIDE

Si me ignavis sors æqua laboris
Jungeret, et mortem reputantibus, inquit, honestam
Qualiscumque foret, potius dicenda tacerem,
Quam verbo vellem consumere tempus inani.
Sed majore fide, quam vellem quamque decorum
Esset, virtutis expertus robora vestræ,
Jam didici, quam sit venerabile nomen amici,
Quam sincera fides sinceros inter amicos !
Tot rebus monitus præsumere debeo tantis
Me dignum sociis. De tot castrensibus ante
Unica Persarum superestis gloria, qui me
Bis profugum, victi bis principis arma secuti.
Vestra fides stabilemque probans constantia mentem
Efficiunt, ut non verear me credere regem,
Ut me Persis adhuc ausit regnare fateri.
Qui potius castris victi elegistis adesse,
Victoris quam signa sequi, me judice digni,
Si mihi non liceat, pro me quibus ætheris ille
Dignas rector agat grates, quia non erit ulla
Nescia tam recti, tam non obnoxia justis
Surdaque posteritas, quæ vos non efferat æquis
Laudibus in cælum : quæ non memoranda loquatur,
Quæ vos et meriti taceat præconia vestri.
Vivere per famam dabitur post fata sepultis,
Sola mori nescit eclipsis nescia virtus.
Unde fugæ latebras, quas semper abhoreo, quamvis
Molirer, virtute animi tantoque meorum
Consilio fretus irem tamen obvius hosti... (Alex. VI. 312-339)

Jam nemo illud S. Gallensis monachi judicium poterit in dubium revocare : « Auream illam Q. Curtii brevitatem non solum imitatus est, sed etiam assecutus [1]. » Immo, non nunquam excedit, neque enim obliviscitur se a magistro suo didicisse

Qualiter in brevius restringere plurima posset [2]

Quapropter, nisi Q. Curtius ipse Gualtheri versus illustraret, de obscuritate cum Sibyllinis libris semel atque iterum Alexandreis decertaret. Neque illa dico Alexandri facta, quæ liberius quam par est Gualtherus omisit : quanquam eo pacto historiæ, ut ita dicam, filum rupit. Sed venio ad illos versus paucissimos, ad quos integras Q. Curtii paginas ita redegit, vix ut intellegatur.

Sic ad Philotæ necem canendam aggreditur :

. . . . . Erat inter regis amicos
Præcipuus tota major legione Philotas,
Parmenione satus, sine quo nil carmine dignum
Gessit Alexander : qui grande nefas Cebalino
Indice perlatum, certis rationibus ad se
Suppressit biduo, donec Metrone cruentum
Comperiente scelus, proprio cadit ense ligatis
Complicibus Dimnus : vincitur et ipse Philotas.
Creditur hoc uno perimi voluisse tyrannum,
Quod toto bidui spatio suppresserat hujus
Indicium Philotas (vii. 89-90.).

Minime intellegis ? Credo equidem. Quod nefas ?

[1] Migne, Op. Gualtheri.
[2] Bald. Burg.

Quod bidui spatium? Qui Metro? qui Dimnus? qui istius complices. Tacet Gualtherus; Q. Curtio utamur:

« Dimnus modicæ apud regem auctoritatis et gratiæ, insidias regi comparaverat, atque in sui consilii societatem exoletum quemdam, cui Nicomacho erat nomen, asciscere fuerat conatus. Nicomachus vero, postquam omnem conjurationem plane perspectam habuit, ad fratrem suum Cebalinum omnia, quæ a Dimno acceperat, detulit, Cebalinusque Philotæ, qui sibi forte occurrerat, omnia quæ ex fratre compererat detexit, regique jussit nuntiari. Biduo Cebalinus Philotam idem rogavit, qui nihilominus silebat; Philotasque in silentio perstitit. Cœpit inde Cebalino esse suspectus. Itaque ille non ultra interpellandum ratus, nobili juveni — Metro erat ei nomen — super armamentarium posito, quod scelus pararetur, indicavit. Rex a Metrone admonitus, Dimnum advocavit qui, quam ob causam appellaretur a rege haud ignarus, gladio, quo forte erat præcinctus, graviter se vulneravit. Præterea Alexander, cum jam tertium esse diem ex quo Philotas de conjuratione certior esset factus, audivit, illum tanti sceleris participem esse ratus est, jussitque vinciri. » (Q. C. VI. 7-8.)

Illa est rerum summa quas Q. Curtius narrat. Qui vero Gualtheri versus sic intellexerit, illum corona fatidica donandum esse fatebor.

Neque minus peritus, qui istos versus possit enucleare :

> At Sisenes quia *rem* tacite suppresserat auro
> Creditur a Dario corruptus (u. 270.).

Quam rem, inquis, suppresserat Sisenes iste? Non intellegis, neque prius intelleges quam Q. Curtium legeris (Q. C. III. 7.).

Sic Gualtherus Cliti necem, uno tantum versiculo, absolvit. Quo fit ut quidam opinentur, illum Alexandri res egregie factas tantum descripsisse, atque de industria omisisse quæ ad ejus dedecus cederent. Cui sententiæ non possum assentiri, cum Gualtherus pro arbitrio dicenda taceat, idemque dicat tacenda[1].

Dolebunt, ut opinor, quidam quod Gualtherus Vitam Alexandri ad verbum non reddiderit integram: potuit enim multum illos adjuvare, qui librum Q. Curtii decurtatum reficere cupiant. Sed, poetam ipsum illud opus non habuisse nisi mutilum, minime dubium est; namque in iis Vitæ Alexandri locis, quæ nunc desiderantur, modo liberior evagatur, quasi duce careat, modo Justinum manifeste sequitur.

Re quidem vera, hæc in libro primo Alexandreidis Gualtherus habet:

> Nullus erat, qui non sexagenarius esset,
> Usque adeo positis ut si quis cominus armis
> Principia inspiceret castrorum sive quiritum,
> Præfectos equitum non crederet, immo senatum (252).

Quæ, quid aliud sunt nisi hæc Justiniana verba: « Ordines quoque nemo nisi sexagenarius duxit,

[1] Quedam preponenda que cedebant ad dedecus Alexandri subticet, sicut de Parmenione et Clito. (P)

ut, si principia castrorum cerneres, senatum te alicujus priscæ reipublicæ videre diceres. » (Just. xi. 7.)

Justinum vero Gualtherus relinquit cum, quæ Gordii Alexander fecerit, narraturus est : quo loco Q. Curtii liber, qualem nunc habemus, incipit. Verum, deficiente rursus Q. Curtio, rursus Justino utitur, a quo non nulla sumit, unde librum decimum conficiat. Eumdem, in morte Darii narranda, imitatur : « Cum civem ex voce cognovisset, id saltem præsentis fortunæ solatium habere se dixit, quod apud intellecturum locuturus esset, nec in cassum postremas voces emissurus... in quam rem unicum pignus fidei regiæ, dextram se ferendam Alexandro dare. » (Just. xi. 15.)

Fortunæ præsentis, ait, mortisque propinquæ
Hoc unum Dario et solum solamen habetur,
Quod tecum mihi non opus est interprete lingua,
Quod loquor extremas discretis auribus, et quod
Non erit extremas in cassum promere voces...
... Sic ait, et dextram tanquam speciale ferendam
Pignus Alexandro porrexit... (Alex. vii. 255-300.)

Præter Q. Curtium et Justinum, illum sibi Gualtherus elegit ducem, quem nos Pseudo-Callisthenem vocamus. Illo auctore, non nulla de Alexandro commentus est [1] : qua in re cum æqualibus peccat qui,

[1] Ut cum Alexandro Nectanabum magum dat patrem. Præterea, pæne ad verbum reddidit (ii) epistolas quas Pseudo-Callisthenes Dario et Alexandro affinxit (Cap. xxxvi, p. 41-43). Cf. etiam Al. x, 344 cum Ps. C. p. 10.

Pseudo-Callistheni de Alexandro ineptias effutienti, temere, quantumvis essent docti et acuti, fidem habuerunt. At vix Gualtherus plus quam semel sic deceptus fuit ; neque dolium illud vitreum — mitto autem plerasque fabulas quæ tum erant pervagatissimæ — in quo inclusus Alexander imum Oceani fundum perscrutabatur, confecit [1] ; quin, ne *arbores* quidem *solis* aut *lunæ* jubet, cum Petro Comestore, vaticinari [2]. Quocirca vir quidam, inter nostrates ille quidem celeberrimus, contendit, non alium sibi finem Gualtherum proposuisse, nisi ut veram Alexandri imaginem æqualibus exprimeret [3]. Quanquam quæ historiam scribentibus præcipiuntur, poeta noster quam parum curat !

Illud est historicis caput artis ut, quid temporibus populisque, quorum memoriam evolvunt, aptum sit et consentaneum, diligenter inquirant et observent. Sed, XII° seculo, moris erat scriptorum ut, cum vellent antiquitatem exprimere, ætatem suam intuerentur eamque sibi exemplar proponerent. Neque semel Alexander in christianum quemdam duodecimi seculi

[1] Cf. Romans d'Alexandre, par Lambert Li Cors, Thomas de Kent (*Hist. lit.* XIV et XV.). Talbot.

[2] Petri Comestoris Verbum Abbreviatum : Quomodo Alexander consuluit arbores solis et lunæ, etc. Migne, T. CXCVIII, c. 1496.

[3] Paulin Paris, dans ses notices sur les manuscrits de la bibliothèque du Roi.

regem tum mutatus [1]. Tenemus nunc cur, in Alexandreide, non aliis rex Macedonum armis quam equites, Gualtheri ætate, cingatur.

Ærea crure tenus serpens descendit ad imos
Squama pedes....
.... leves humeros et pectus herile tuetur
Vertice dependens triplici toga ferrea nexu,
Et teretes ulnas maculis circumligat uncis.
Sed parcens oculis hostem dat posse videri,
Tutior ut lateat triplici protecta galero,
Corporis humani pars dignior, ærea cassis
Imprimitur capiti flammantibus ignea cristis. [IV. 500-512.]

Idem, cum leunculo cruoris sitiente tantum quod

[1] Alexandre était armé chevalier; il se choisissait douze pairs, convoquait le ban et l'arrière-ban de ses vassaux; tenait une cour plénière, avait un connétable, un sénéchal, des barons. Sa tente est brodée par Isabelle de Flandre... Darius, qui a une cour de chevaliers, prétend que Philippe est son serf, etc. Cf. etiam, P. Paris, Table Ronde : Joseph d'Arimathie (I. 126.). Pilate, bailli; Judas, sénéchal... l'évêque Caïphas... Joseph d'Arimathie rend à Pilate un service de cinq chevaliers.

Neque tantum christianis a poetis Alexander tum commutatus est :

« Il est à remarquer qu'Alexandre, comme Salomon, comme les autres héros des récits russes, y prend couleur orthodoxe. Après avoir été juif dans le faux Callisthène et musulman dans le Koran, le voilà chrétien orthodoxe !... Il est le fondateur de la sainte Byzance... Il transporte d'Égypte à Alexandrie les reliques de saint Jérémie le Prophète. » Rambaud, p. 406.

comparatus est, cum in puerulum vertitur, magistri ferulam pertimescentem.

Ille sui reverens faciem monitoris, ocellos
Supplice dejecit vultu, pronusque sedentis.
Affusus genibus... (I. 76.)
Ergo ubi quæ ferulæ pueros emancipat ætas
Advenit.... (I. 494.)

Quid mirum ? XIIo seculo, viri vel gravissimi animum præ se puerilem identidem ferebant. Quid demum puerilius quam hæc quæ, in Alexandri triumpho, oculos Gualtheri detinuere ?

Servus et ancillæ jussi lucescere luxu
Barbarico, insolitos nequeunt sufferre paratus,
Immemoresque sui, dum contemplantur amictus,
Jam se præsumunt servos non esse fateri,
Hosque, quibus deerat fallax opulentia, jussit
Inter honoratos fulgere precaria vestis (V. 405.).

Jam vero Babylonii qui Alexandro triumphanti occurrunt, a duodecimi seculi musicis non unum mutuati sunt instrumentum.

Occurrunt lyricis modulantes cantibus odas
Cum cytharis mimi : concordant tympana sistris,
Cymbala psalterio cedunt, nec defuit aures
Blandius humanas docilis sopire *viella* (V. 483.).

Sane, cum Gualthero, septem artibus *Parisius* studuerat Memphites ille Zoroas,

.... quo nemo peritior astris
Mundanas prænosse vices ..
Circulus an posit quadrari, an musica verset

Cælestes modulos ; vel quanta proportio rerum
Quatuor inter se...
. . . . . »cujus
Militiam claudit *septemplicis* [1] arca sophiæ. (III. 140-172.)

Atque Aristoteles, nonne germanum scholasticum satis belle exprimit ?

Livida nocturnam sapiebant ora lucernam,
Nulla repellebat a pelle parenthesis ossa,
Seque maritabat tenui discrimine pellis
Ossibus in vultu, partesque effusa per omnes
Articulos manuum macies jejuna premebat. (I. 64-68)

Is quidem se, eo tempore quo homines mirum in modum pecunia movebantur, docere opportunissime meminit. Quare, discipulum quem consiliis ad munus regale informat, nihil magis hortatur quam ut « maniplis thesauros aperiat. »

Vulneribus crudis et corde tumentibus ægro
Muneris infundas oleum, gazisque reclusis
Unge animos donis, aurique appone liquorem. [I. 147]
Est dare pro muro solidi muniminis instar :
Non murus, non arma ducem tutantur avarum. (I. 162.)

Quibus monitis obtemperans Alexander, vix urbem expugnavit aut victoriam retulit, cum ad gazam currit militibus distribuendam.

Ad gazas properare jubet, rapiendaque prædæ
Munera... [passim]

[1] Ergo septem artes liberales didicerat Zoroas : « Iste sunt septem artes grammatica, etc. » (B. ibidem.)

Æquum est Aristotelem, qui sit scholasticus, Scripturam sacram edidicisse. Itaque potest Alexandrum monere

Ne moveat stabilem personæ acceptio mentem [1];

debet illum hortari ut Scripturam sacram penitus exploret (I. 172.). Hinc ipsis Jesu Christi verbis Alexander uti poterit.

. . . . . Magnum ne dixeris orbum [2]:
Ecce mei fratres quos intuor; ecce parentes (VIII, 127.).

Sed, si de litteris sacris cum rege Persarum illi pugna fuisset, ægerrime, ut mea fert opinio, vicisset. Nam Darius quoque assiduus fuerat in scientia sacra discenda, qui non aliter suos ad pugnandum hortaretur, quam si Genesim memoriter teneret!

Quis coctum laterem, structamque bitumine turrim
Nesciat a proavis, magnæque quis immemor urbis,
Cui dedit æternum labii confusio nomen [3] (II. 351.)

Qui fuerit Naboth, procul dubio, idem rex novit:

Si fundum (inquit) avitum,
Et patrias vites per me sibi flevit ademptas
Filius exheres...[4] (VII. 34.)

[1] Nolite in personarum acceptione habere fidem. (Ep. B. Jacobi II, 1.)

[2] Mater mea et fratres mei hi sunt (S. Luc. 8-21).

[3] Venite faciamus lateres et coquamus... vocatum est nomen ejus Babel, quia ibi confusum est labium universæ terræ (Lib. Gen., XI, 3, 9.).

[4] Lib. III, Regum c. 21.

Seque integre vixisse, haud secus ac theologus, testatur :

> Sed si justitiæ cultor, si jura secutus
> Nil egi, nisi quod rationis littera dictet,
> In quantum natura sinit, petulansque nocivæ
> Conditio carnis... (VII. 43.)

Mihi in mentem venit Aristophanis qui, se primas fabulas aliis poetis debuisse ascribere, sic per ridiculum referebat :

> Τὰ μὲν οὐ φανερῶς, ἀλλ' ἐπικουρῶν κρύβδην ἑτέροισι ποιηταῖς,
> Μιμησάμενος τὴν Εὐρυκλέους μαντείαν καὶ διάνοιαν,
> Εἰς ἀλλοτρίας γαστέρας ἐνδὺς κωμῳδικὰ πολλὰ χέασθαι [1].

Intus est, ut ita dicam, in Dario et in iis quicumque in Alexandreide personam agunt, mens Gualtheri : nempe, videntur ipsi loqui ; re autem vera, quidquid scit, illorum quasi interprete lingua, Gualtherus effundit.

Enimvero, non historicus ille est, sed unus e scholasticis illis qui occasionem aliquam ostentandi quid scirent, quid possent facere, nunquam non aucupabantur. Interdum vero se apertius venditare non sustinet ; tum Dario aut cuilibet quid dicant subjicit. Vis poetam nostrum in manifesto illo artificio iterum deprehendamus ?

Illi de improviso libet ostendere, se in rhetorum officinis operam non perdidisse : qua mente in ora-

[1] Σφῆκες. 1018.

tionem perlongam verba admodum pauca producit quæ Justinus finxit Darium habuisse morientem. Is quidem non paratissimus esse potest ad dicendum, de quo modo Gualtherus cecinerit :

> Parricidæ dominumque patremque cruentis,
> Confodiunt jaculis ; et in ipsum, grandinis instar
> Spicula conjiciunt; quem tandem vulnere multo
> Pectora confossum, sparsumque cruore relinquunt.
> (VII. 195.)

Nihilominus multa garrit Darius, et quidem multo plura quam in Pharsalia Pompeius qui, postquam Achillæ mucrone perfossus est, multa verba in pectore volvit[2]. Necdum dicendi præcepta omnino oblitus est atque, ut cetera omittam, his verbis « Adde quod » quæ rhetorem deceant, duas sententias inter se nectit.

Profecto intellexistis Dario animam Gualtherum suo ipsius spiritu produxisse, atque ita prohibuisse, ne prius moreretur quam orationem integram recitavisset.

Pergit Aristophanes :

> Μετὰ τοῦτο δὲ καὶ φανερῶς ἤδη κινδυνεύων καθ' ἑαυτόν[1]...

Et Gualtherus in scænam, idque non jam personatus, aliquando ipse prodit ut scholastici partes aperte defendat. Tum jubet omnes tamdiu cessare, dum loquetur. Quæ putas Alexandrum, cum jam ad Arbela dimicaturus est, curare ? Nimirum sese ad

[1] Ib. 1021.
VIII, 621-635.

prælium instituit et, cum in regione hostili versetur, ne imprudens atque inopinans deprehendatur, maximam diligentiam adhibet. Immo vero, Darii uxor vita functa est. Illam Alexander, Gualthero jubente, in monte quodam curat sepeliendam, ubi Apelles

.... schemate miro
Non solum gentes et nomina gentis Acheæ,
Sed Genesis notat historias ab origine mundi.

Neque ulla gens, neque ut ita dicam, ullus homo vitam ante Alexandrum egit, cujus imago in hoc tumulo non fuerit insculpta ; quapropter mons totus fuit, ut opinor, excidendus. Namque *hic aderat globus informis.*

Quatuor impressis pariens elementa figuris.
Hic operum series, quæ sex operata diebus
Est Deitas ; inter quæ, auro spirante nitorem ,
De tenebris primam videas emergere lucem.
De limo formatur homo...
Pullulat humanum genus... adhærent
Conjugio illicito.... clauduntur in arca ;
Vinea plantatur et inebriat uva parentem.
Hic patriarcharum seriem specialius aurum
Exprimit...

Quid multa ? nihil omittit poeta. Namque meminit se cum Matthæo Vindocinensi contendere *uter melius versificet*. Matthæus ut Tobiæ historiam versu includat omni ope et opera enititur. Ergo Gualtherus ostendet se potuisse, si voluisset, Scripturam sacram versibus mandare. Apellis opus, ipsis Scripturæ sacræ vocibus, poeta noster interpretatur ;

quod postquam perfecit, Alexandro in Darium irruendi facultatem concedit.

Magnus ut obsequiis tumulo de more peractis
Inferias solvit, festinus castra moveri
Imperat, et rapido cursu bacchatur in hostem. (IV. 175-275.)

Tot annos, ne dicam tot secula, dum illud monumentum excisum fuisset, oppertus erat! Nemo quod iter quam celerrime repetiit potest mirari.

Verum Darius occubuit. Tum libet Gualthero aliquid de geographia discipulis dicere. Monumenti igitur iterum ædificandi arripit occasionem, quod ea magnificentia idem Apelles fingit, nihil ut possit Darius uxori invidere. Tum « *in concava testudine librati ponderis* » quod Apellis operi fastigium imponitur,

Forma tripartiti pulchre describitur orbis...
Hic certis distincta notis, loca, fulmina, gentes,
Urbes et silvæ, regiones, oppida, montes,
Et quæcumque vago concluditur insula ponto.
Indigeat quæ terra, quibus, quæ rebus abundet.....

Enumerat magister diversas orbis regiones, neque aliæ sunt quam XIIo seculo erant

. . . . superbit
Gadibus Herculeis Hispania, ture Sabæa,
Francia militibus, celebri Campania Baccho,
Arturo Britones, solito Normannia fastu :
Flandria mendicat... et Scotia sub Jove stuprat;
Anglia blanditur, Ligures amor urit habendi,
Teutonicusque suum retinet de more furorem. (VII. 397-415.)

Quo attentiores discipulos faciat, populos iis moribus exprimit, quibus in scholis tum notabantur.

« Pro diversitate Regionum mutuo dissidentes, invidentes et detrahentes, multas contra se contumelias et opprobria (scholares) impudenter proferebant. Teutonicos furibundos dicebant ; Normannos autem inanes et gloriosos ; Britannos leves et vagos judicantes, Arturi mortem frequenter eis objiciebant ; Lombardos avaros [1]. »

Porro Persas et Macedones Gualtherus sæpius sic jubet conquiescere, ut se ad suum docendorum adulescentium munus possit revocare. Tum nihil antiquius habet — neque illam in scholastico curam miror — quam ut discipuli in pietate et in scientia sacra progrediantur. Quocumque appellit, christiani egregii vestigia ibidem impressa, discipulos jubet secum animadvertere. Quod si quem virum in medium statuit proferre cujus memoriam nullus ab Alexandro exploratus locus suggerat, non ita imparatus est poeta noster, ut propositum non assequatur. Nonne, occiso Dario, æquum erat D. Thomæ Cantuariensis necem Gualtherum commemorare ? Legionem Thebæam in Alexandreida includere decreverat. Subito, Alexandrum prospicit in Darium ea vi irruentem, qua torrentes devolvuntur. Porro, ad Rhodanum, quod

[1] Jacobus de Vitriaco apud Bul. II. 688. Cf. apud Wright, Anecd. lit., Rhythmum quem, XII° sec., scholasticus quidam de Provintiis mundi condidit, cum illis versibus quibus Gualtherus Asiam descripsit (I. 396.).

flumen est rapidissimum, Thebæa legio fuit jugulata. Nempe intellegis Gualtherum, orationis flumine, ad carmina istiusmodi condenda deductum iri :

Quantus ab Alpinis spumoso vertice saxis,
Erumpit Rhodanus, ubi Maximianus Eoos
Exstinxit cuneos, cum sanguinis unda meatum
Fluminis adjuvit fusa legione Thebæa ;
Permixtusque cruor erumpit in ardua, spreto
Aggere riparum, totumque rigavit Agaunum (v. 313.).

Jam suspicaris scholasticum nostrum varias de Theologia disputationes, in Alexandri vita, ea arte potuisse conserere. Vis conscientiam tuam, ut aiunt theologi, informare? Audi de virginibus, quibus Macedones vim intulerunt sententiam hanc a Gualthero latam :

..... Pars altera labem
Contrahit incestus, verum pars altera luget,
Et venit ad veniam, patientis namque reatum
Vis illata levat, minuitque coactio culpam (III. 230.).

Neque poeta sinit te ignorare cur homines in tanta peccata ruant :

Quia labilium seducta cupidine rerum,
Dum sequitur profugi bona momentanea mundi,
Allicit illecebris animum caro, non sinit esse
Principii memorem, vel cujus imaginis instar
Facta sit, aut quorsum resoluta carne reverti
Debeat : inde boni subit ignorantia veri :
Inde est quod, spreta cupimus rationis habena,
Quod natura negat, facinusque paratus ad omne
Non reveretur homo quod fas et jura verentur (VII. 332.).

Quæris quid, de pœnis post mortem distribuendis, Ecclesia sentiat. Id tibi planissimum fuerit, si Alexandreida evolveris, in qua hæc invenies carmina :

Et licet unus eos atque idem torreat ignis,
Non tamen efficiunt æquas incendia pœnas
Omnibus ; hi levius torquentur ; sævius illi :
Sic se conformat meritis cujusque gehenna,
Ut qui deliquit levius, levioribus ille
Subjaceat pœnis, et qui graviore reatu
Excessit gravius, graviorem sentiat ignem.
Sunt quibus, excepta primi levitate parentis,
Nulla fuit vitæ contagio vel venialis :
His nihil aut modicum pœnæ vapor igneus infert (x. 61.).

Idem poema tibi suggerat unde ad virtutem accendaris : nam in pia vota aut querelas Gualtherus sæpissime effusus est. Sic exclamat, cum Babylone triumphat Alexander :

Si gemitu commota pio, votisque suorum
Flebilibus, divina daret clementia talem
Francorum regem,... gens omnis et omnis
Lingua Jesum caneret, et non invita subiret,
Sacrum sub sacro Remorum præsule fontem (v. 510-520.).

Darii nece enarrata, Gualtherus putat sibi tamdem adesse tempus quotquot homines, in quos vitium aliquod cadit, cohortandi. Tum avaros, ebriosos, dissolutos, simoniacos, nummarios judices, ad frugem compellit ; *neque impuberes qui, merito parentum suffragante, ad pontificale cacumen tum evehebantur : neque illos prælatos qui, sortiti a cardine nomen, geminos patres livore ducti creaverant*, omittit objurgare (vii. 306-347.).

Verum cum Gualtherus se tempori suo ita accommodaret, ut in Alexandri vitam contionem inculcaret sacram, etiamtum ad antiquorum consuetudinem deducebatur. Enimvero hæc de vino habet :

> **Sed neque ferrato detentus carcere *Bacchus*,**
> **Frenderet horrendum fracturus dolia, nec se**
> **Inclusum gemeret sine respiramine *Liber*.**

Quasi vero de simoniacis, de papa et prælatis non sit jam locuturus ! Consentaneum quidem erat eum, qui Alexandrum caneret, antiquos omnes deos heroasque ex Olympo ad se devocare : vellem tantum cum sanctis non miscuisset ! Qui superi, quotquot in Alexandreide adhibiti sunt, profecto mihi non sunt recensendi : satis erit hic animadvertere, Gualtherum interpretibus suis suppeditasse unde tam fuse, quam qui nunc maxime, de Mythologia dissererent.

Neque ab re erit notare poetam nostrum cum Persas Macedonesque, quos in christianos jam vertit, aliquid veterum simile voluit habere, eum Romanos, in quorum consuetudinem præsertim se dederat, exemplar sibi proposuisse [1]. Sic Darii consanguineos prætextis amixit ; illumque et Alexandrum clientibus stipavit ; circumdedit quiritibus, in maniplos divisis, quibus prætores consulesque præfecit ; utrumque senatum in curiam haud semel jussit convocare. Quid quod penates laresque et manes interdum commemoravit, Falernoque miscuit venenum quo Alexander

[1] V, 459-463. VIII, 76.

interfectus est? Atque Babylonem, ubi *viellam* resonantem modo obstupuimus, nonne eam ad Urbis effigiem Gualtherus exædificavit : siquidem cum *porticibus*, in quibus *statuarum avitarum* ordo patet, tum *foro* et *compitis*, per quæ *cives severi* et *graves matronæ* incedunt, instructa est. Nec vero illi quasi municipio desunt *servi*, sed eos Gualtherus, ut est christianus, simul ostendit, *manumittit*[1]. Denique Romanos inter et Alexandrum, invita sane Clio, junxit societatem.

> Scitis enim socii, quia cum mihi miserit olim
> Roma per Æmilium regni diadema, mihique
> Scripserit ut Regi (x. 322.).

In summa, nullus in Alexandreide est quem Gualtherus maxime sibi cognatum, id est *bifrontem*, non fecerit, ea quidem lege ut idem homo ex una parte quasi Romanus, ex altera quasi Christianus videatur.

[1] Forsitan Gualtherus illa arte voluerit Remis morigerari qui, Medio Ævo, urbem suam a Romulo conditam fuisse jactabant :

> Stat locus ipse quidem structus sub mœnibus altis
> Scemate preclaro Remorum nobilis urbis
> Impius occisi quam frater condere jussit
> Nomine sub fratris, ceu fama volatilis infit.

Roul. des Morts, 17. Cf. Arch. l. de Reims, I° partie, 432. — Bald. Burg. ad Godefredum Remensem. C. T.

CAPUT V

De Gualthero poeta, id est, quo in poematum epicorum numero Alexandreis sit habenda.

Superest ut quæram quatenus Gualtherus poetas æquales imitatus fuerit ; quatenus antiquos.

Quam fuerint sicca, quam inornata, atque id consulto quæ, XII° seculo, prodierunt poemata, jam satis dixi. Neque tamen ea ætas laudis poeticæ omnino fastidiosa ; sed eam inde quæsivit unde nemo unquam comparavit. Qui cum Gualthero « altercatus est, uter melius versificaret » profecto persuasum habuit se victoriam retulisse, quia in istiusmodi versibus condendis elaboravisset.

Odit, amat, reprobat, probat, exsecratur, adorat.
Crimina, jura, nefas, fas, simulacra, Deum;
Fas, simulacra, Deum, probat, exsecratur, adorat,
Odit, amat, reprobat, crimina, jura, nefas.
Seminat, auget, alit, exterminat, arguit, arcet,
Dogmata, jura, decus, seminat, auget, alit... [1]

[1] Migne, CCV, 935.

Quæ verba non ante intelleges, quam sic disposueris :

Odit crimina ; amat jura ; reprobat nefas; probat fas ; exsecratur simulacra; adorat Deum, etc.

Idem Matthæus Vindocinensis, isto disticho procul dubio gloriatus est :

Replet agenda, sacrat domino se, legis honestas
Quod dicit, superi patris amore patrat. »

« Quod potest legi ordine retrogrado, ut exemplo planius elucescet :

Patrat amore patris superi, dicit quod honestas
Legis, se domino sacrat, agenda replet [1]. »

Quid porro de istis argutiis quibus filium Tobiæ natum Matthæus celebrat?

Sole novus radius prodit, lux lumine, dignus
Sol radio, radius sole, nitore nitor.
Vernat prole pater dignus, proles patre, dignum
Vas figulo, figulus vase, parente puer.

Frequentissimi id genus cincinni apud Matthæum Vindocinensem atque illos quoscumque, quod poesis flores et lumina, tanquam vitia quædam, e carminibus suis expulissent, gloriantes audivimus. Istas autem delicias nullus insolentius affectavit quam Petrus de Riga, cujus Auroræ hæc verba videas, passim interposita : Sequitur sine A ; sequitur sine

[1] Thurot, 420.

B... quibus nos monet poeta se omnes litteras e suis versibus singulas expulisse[1].

Vitia adeo adiosa Gualtherus non satis cavet ; plurima sectatur quæ emunctæ naris judices offendant. An quisquam poetam approbet cum verba idem prope sonantia sic colligat :

Me duce, signa, duces, producite ; me duce, vallum
Sternite. (II. 482.)
Et mortem fecere sibi ne morte perirent.....
Et labi sine labe fuit, non cedere cædi ;
Cædereque et cædi, dum non cædantur inulti (III. 319-325)
Indomitam indomitus domuit Macetum furor urbem (III 335).
. . . . . solaque solis
Solius radiis indignans cedere... (IV. 386.)
Inclitus ille Clitus... (V. 77.)
Forti fortunæ pereo, si pareo... (VIII 201)
Exstinguet Macetum tua, Phœbe, lucerna, lucernam[2] (X. 374.).

Neque potuit se tenere quin Matthæum Vindocinensem in præstigiis, quibus modo obstupuimus, desudantem, semel æmularetur. Inde mirabiles hi versus :

. . . . . monet, allicit, artat,
Fortes, conductos, cives prece, munere, verbo (VI. 55.).

intellegere volenti sic componendi :

Monet fortes prece; allicit conductos munere; artat cives verbo.

Verum Gualtherus aliquando, atque utinam

[1] Præter illos, lege præsertim Hildebertum. Migne CLXXI.
[2] Cf. III, 106, 253. IV, 139. etc.

semper! abjicit crepitacula illa quibus vellem nunquam lusisset, atque habitum virilem consectatur. Tum sententias illas fundit.

Nobilitas sola est animum quæ moribus ornat (I. 404.).
Instabile est regnum quod non clementia firmat (I. 342.).
. . . . . præda meis, mihi gloria sufficit una. [II. 485.]
Omnia cum quodam veniunt incommoda fructu. (III. 273.)

Tum Dario, qui tantum quod Alexandrum effugerat, cum in Bessi manus incidit, perbene dicit :

Incidis in Scyllam cupiens vitare Charybdin. (V. 302.)

Tum Alexandrum cum leunculo sic comparat :

Qualiter Hyrcanis cum forte leunculus arvis
Cornibus elatis videt ire ad pabula cervos,
Cui nondum totos descendit robur in armos,
Nec pede firmus adhuc, nec dentibus asper aduncis,
Palpitat, et vacuum ferit improba lingua palatum
Effunditque prius animo quam dente cruorem,
Pigritiamque pedum redimit matura voluntas :
Sic puer effrenus totus bacchatur in arma,
Invalidusque manu gerit alto corde leonem,
Et præceps teneros audacia prævenit annos [1]. (I. 49.)

[1] Dans les âmes bien nées,
La valeur n'attend pas le nombre des années.
(Corneille.)
Tempus erat dubiam cogens pallescere lunam
Cui neque nox, neque lux imponit nomen, utrumque
Et neutrum tenui discrimine. (III. 466)
Et que n'étant plus nuit il n'est pas encor jour.
(La Fontaine, les Lapins)

Socios fractos Darius fractus ipse erigere conatur :

Qualis in Ægeo desperans navita ponto,
In quem fluctivomus, fracta jam puppe, videtur
Conjurasse Notus, socios solatur inertes,
Dissimulansque metum comitum titubantia firmat
Pectora, et invito parat ire per æquora vento (VI. 379.).

Gens Scytharum, antea invicta, ab Alexandro frangitur :

Qualis in alpinis annoso robore saxis
Astra petens abies multosque inflexa per annos,
Afflatus Euri, Zephyrum contempsit et Austrum.
Quam si forte suo Boreæ de more fatiget
Spiritus, et toto tundat simul aera nisu :
Nil illi rami veteres, nil horrida musco
Robora proficiunt sua, quo minus obruta vento
Corruat, et prono tellurem vertice pulset. (VIII. 482.)

Alexander suis insperantibus redditus est ; castra sonant læto clamore ,

Qualis in Ægeo, Borea bacchante, profundo
Exoritur clamor, cum fracta puppe, magister
Volvitur in medios, everso vertice, fluctus,
Fit fragor et similem timet unusquisque ruinam,
Seque omnes anima periisse fatentur in una.
Si tamen incolumem revocare tenacibus uncis
Et clavum reparare queunt, sonat aura tumultu
Lætitiæ, et primum vincunt nova gaudia luctum (IX. 493.)

Innumeros de industria prætereo versus, quibus Gualtherus solem orientem aut occidentem canit. Namque, dum Q. Curtium ad verbum reddit, in ser-

monem pedestrem non nunquam labitur, quod ubi sentit, continuo cantat :

Cum sol roriflua stillaret lampade... (II. 97.)
.... Jam tertia sparserat ignes
Explicitum tenebris rutilos aurora per orbem. (II. 226.)
Septimus accenso Phœbea lampade mundo
Presserat astra dies. (III. 274.)
Luridus et piceo suffusus lumina fumo
Quartus anhelanti...
Lucifer ibat equo (IV. 1.)

Neque eum illius simplicissimæ artis videtur unquam tædere, quasi persuasum habeat se hedera poetica haud dubie donatum iri, si solis cursum perbelle descripserit. Quo fit ut nullum, ni fallor, poema solis radii sæpius illustrent.

Felicior, me judice, Gualtherus cum ad prœlia aggreditur. Tum calet et quasi bellicum canit. Tum Q. Curtium qui omnia singillatim, historicorum more, describit, merito relinquit : virosque animo aut forma præstantes a dimicantium turba segregat, quos singulari prœlio decertantes ante oculos statuat.

Sic magus quidam, cui nomen Zoroas, Alexandrum *non solum jaculis*, *sed voce probrisque* ad certamen provocat. (III. 167.) Rex vulneratur, *verum Meleager irruit* in Zoroam, qui mox necatus procumbit.

Majus, alia in pugna, periculum Alexandro imminet :

Ibat Alexandro vulnus letale daturus
Si sineret fortuna, Geon, maris incola Rubri
Informis facie, quem creditur una gigantum

Æthiopi peperisse viro, qui corpore matrem
Immani referens, aliumque colore parentem
Quos terrere nequit nigredine, corpore terret.
Fuderat ergo viros clava ter quinque trinodi,
Agmina dum Graium sinuoso turbine rumpens
Ad Magnum molitur iter : ceu dissipat acri
Dente canes Nemeus aper, cui sudat apertis
Spuma labris, dorso valli riget instar acuti
Seta minax, humeroque canes supereminet omnes.

Sed jaculo transfixus, graviter cadit :

Plangit percussa jacentem
Mater humus prolem, tantumque dat icta fragorem
Quantus ubi annosam sed adhuc radice superbam
Montibus evellit Boreæ violentia quercum. (v. 38-71.)

Clitus ambos fratres modo jugulavit. Contemplatur cædem suorum

Metha pater, nec quos lacrymarum funderet imbres
Invenit facies : etenim dolor intus obortas
Sorbuerat lacrimas...
Palluit exanimis, dextra languente, gelato
Corde, senex et mors in vultu visa sedere est.
Mox ubi mens rediit, redivivo sanguine, tandem
Singultit :
Tune duos, inquit, tortor sævissime, fratres
Tune duos ante ora patris mucrone vorasti ?
Non veritus patris emeriti miseræque parentis
Præcipitare dies...
Junge patrem natis, et funera terna remitte
Conjugis et fratrum viduæ plangenda parenti.
Si qua tamen conjux, si quis tibi filius heres,
Aut soror, aut mater, Parcarum vindice filo
Quod doleo doleant, et idem quod lugeo plangant.

Dixit, et imbelli jaculatus missile dextra
Torsit in ora Cliti, quod vix umbone moratum
Ocius avellit Clitus...
. . . . letali perfodit guttura ferro.
Ille ruens cecidit, visu mirabile, natos
Inter semineces, prolemque amplexus utramque
Tendit ad infernam, natis comitantibus, urbem. (V. 76-123)

Sane, e Priamo illo quem Virgilius adeo miserabilem effinxit, tanquam imago quædam tantum adumbrata, Metha expressus est. Intuebatur quoque Gualtherus Nisum et Euryalum, cum Nicanorem et Symmachum formaret,

Corporibus similes, animisque ..
. . . . . quos una dies, si creditur, una
Ediderat terris : par militiæ labor ambos
Parque ligabat amor ; belli discrimen inibant
In lucro damnoque pares...
. . . quæcumque pericula bellum
Objecisset eis, dubiæ molimina sortis
Corporis atque animi socia paritate ferebant.

Ambo Indorum magnam faciunt stragem sed,

Ecce giganteis abies excussa lacertis
Advolat et mediis conatibus artat utrumque
Affigitque solo. Sic indivisa juventus
Cuspide nexa jacet : sed nec diuturnus in ipsa
Morte resedit amor : amplexus inter et inter
Oscula decedit.... resoluto corpore tandem
Tendit ad Elysios angusto tramite campos. (IX. 77-147)

Ergo Gualtherus æquales superat qui omnes antiquos, cum ex illorum libris graves, quibus hæreticos impugnarent aut confirmarent christianos,

sententias excerpsissent, pro derelictis habebant [1]. Latinos poetas, tanquam eximium quoddam exemplum, identidem intuebatur, ad cujus similitudinem artem et manum dirigeret. Sed dum grammaticæ juvenis studebat, Pharsaliam, utpote quæ historia esset, eademque sententiis referta, jussus fuerat potissimum legere. Nihil igitur mirum si a Lucano videtur didicisse, quo pacto Virgilius sit imitandus. Illo magistro, fucatum nitorem affectat; deformia consectatur; exemplique lineamenta exaggerat :

Negusar
Doctus in objectos dubia sævire securi...
Nunc jaculo, nunc ense furit, nunc vero bipenni
Excruciat cerebrum : jaculo perfoderat Hylam
Actoridem, Dorilum gladio *viduaverat* armo... (III. 91.)
Jam madet herba latens, terramque cadavera celant,
Arva natant sanie, *replentur sanguine valles* (III. 120.)
Vive precor, moriensque suum, ne destrue tantis
Artibus hospitium ! nunquam *mea dextera sudet*
Vel rubeat gladius *cerebro tam multa scienti.* (III, 176.)
Tunc cetera turba jacentem
Comminuunt in frusta virum, stellisque reponunt. (III, 187
Ille vomit saniem fractis cervicibus, illi
Intestina cadunt, alium sibi vindicat ensis :
Hic abit, ille obiit, hic palpitat, ille quiescit (III, 136.)
Et nisi loricæ latuisset tuta galero,
Rorasset cerebrum terebrata casside cervix (V, 83)
Nicanor
Multo contendit *vestire* cadavere terram (IX, 112.)

[1] Jac. Vitr. loc. laud.

moriensque sua sociique
Morte perit *duplici.* (IX, 145.)
Sideribus certant galeæ, clipeisque retusis
Invenisse pares flammas stupet arduus æther,
Et metuit fieri cælum ne terra laboret
Nec minimum gaudet nox instar habere diei :
Nam pro sole sibi Darii datur æmula Phœbi
Cassis, et in summo lampas sedet ignea cono,
Sidera quæ noctis obscurans... (IV, 380-386.)

Nec furtim se ad Lucanum applicat; contra, cavet ut cuilibet statim pateat ad quod exemplum Alexandreida expresserit. Ut Lucanus Pompeium, ita Alexandrum vocitat Magnum.

Hæc ubi tot curas volventem pectore Magnum
Vidit... (IV, 433.)
Ultio divina, proles Philippica, Magnus... (V, 10.)

Quod si quando nobis Alexandri aut Darii admirationem velit injicere quam maximam, illos confert cum Cæsare aut Pompeio...

Te tamen, o Dari, si quæ modo scribimus olim
Sunt habitura fidem, Pompeio Francia juste
Laudibus æquabit... (VII. 345.)
Si fide recolas, quam pauco milite contra
Victores mundi tenero sub flore juventæ
Quanta sit aggressus Macedo...
Tota ducum series, respectu principis hujus
Plebs erit, ut pigeat tanto splendore Lucanum
Cæsarcum cecinisse melos, Romæque ruinam. (IV. 380.)

Denique, ne in re perspicua multus sim, referam

versus quibus Gualtherus Negusarem quemdam celebravit. Cujus militis sinistra manus amputata est;

Ecce parat ulcisci dextra sororem...

sed

qua jungitur ulna lacerto
Ense viri instantis a pectore cæsa recessit.
Excitat interdum vires dolor : ille recisis
In bello manibus se corpus inutile cernens
Quod potuit fecit et equo se objecit Iollæ ;
Tresque ruere simul, periit perfossus Iollas
Et sonipes jaculis : sed nec tibi, dure Negusar,
Missilium nimbus nec tanta ruina pepercit. (III. 103 - 118.)

Nonne tibi in mentem venit hujus juvenis quem Lucanus cecinit :

Ausum Romanæ Graia de puppe carinæ
Injectare manum ; sed eam gravis insuper ictus
Amputat...
Crevit in adversis virtus : plus nobilis iræ
Truncus habet fortique instaurat prœlia læva,
Rapturusque suam procumbit in æquora dextram,
Hæc quoque cum toto manus est abscissa lacerto.
. . . . . Tum vulnere multo
Effugientem animam lassos collegit in artus ;
Membraque contendit, toto quicumque manebat
Sanguine, et hostilem, defectis robore nervis,
Insiluit, solo nociturus pondere puppim [1].

Præter illud in Lucanum immoderatum studium, alterum ab ætate sua vitium Gualtherus habet. Novit

[1] Phars, III. 610-629.

se eo tempore scribere quo, *fabulis gentium* despectis, clerici verum et utile unice æstimabant ; propterque eam rem, quibus miraculis poema epicum sit exstruendum tametsi cum primis tenet , quæ delectent raptim absolvit, dum quæ prosint tractat, ut vidimus, uberrime.

Ut Æneas, Alexander somnium habuit quod suis ita narrat :

Afuit æthereis (hominem si credere fas est)
Ingenua gravitate plagis, quem barbara texit
Multiplici vestis mixtim distincta colore,
Gemmea flammantes lambebat fimbria plantas.
Pesque verecundus talari veste latebat...
« Egredere, o Macedo fortissime, finibus, inquit,
A patriis, omnemque tibi pessumdabo terram.
At si me tibi forte vides occurrere talem,
Parce meis. » Dixit, superasque recessit in auras,
Discedensque domum miro perfudit odore. (I. 516-536.)

Illud vero somnium fore supervacaneum est , neque Gualtheri proposito satis hæret. Adde quod, de Hierosolyma ab Alexandro capta, tacet poeta, nisi quod protinus addit, regem urbem illam revera intravisse, Judæisque , orante summo pontifice, pepercisse.

Gualthero quoque libuit Darii clipeum describere , non tam Alexandreidis exornandæ causa, quam satis magnam Historiæ sacræ partem in quadraginta versus coartandi.

Insuper, Alexandreidi intersunt dii, sed tum sæpius cum nullus vindice dignus nodus incidit.

Enimvero, sine ullo cujusquam dei nutu et ope res plerumque agitur. Sed illud semel atque iterum evenit ut deus aliquis aut dea, nescio cui negotio admodum parvo, repente præponatur : quo quam brevissime confecto, ut gratuito venit, sic sine causa recedit. Cum Fortuna a Macedonibus accusatur, quod Alexandrum in capitis discrimen adduxerit, quid est cur ea accurrat, et verbis paucissimis crimen purget. (II. 190-200.) Atque in pugnam apud Arbela, quum homines per se dimicent, quare Bellona et Mars inducti sunt?

At lævo in cornu, discors Bellona furebat,
Sanguineis maculosa jubis sanieque recenti
Delibuta comas ; cui spumeus axe cruento,
Lumine flammifero, tonitrus et fulminis instar,
Concitus occurrit ferali turbine frater,
Cui sternit furor ipse vias, ceduntque ruenti
Degeneres animi : comes indivisa furoris
Præcipites rapit Ira gradus et fellea torquens
Lumina *contemnit humiles rationis habenas*...
Talis in amplexus veniens per colla sororis
Brachia diffundit deus horrifer : Ocius, inquit,
Labere clara soror; Macetumque, i, nuntia regi :
Vana spe raperis, Darium qui perdere per te
Nescius affectas : scelus hoc a principe tanto
Amovere dei, nec fas ut dextera mundi
Sceptra tenens madeat jugulo polluta senili...
Dixit, et imbrifero Bellona citatior austro
Fertur, et ad dextrum pertransit stridula cornu,
Induiturque genas horrendaque Palladis ora,
Gorgonis anguicomos prætendens ægide vultus :
Commemoransque dei breviter mandata recessit,
Infecitque diem ferali nube recedens. (V, 205-210.)

Illa equidem libenter approbem, verum a reliquo poemate, ubi omnia humanitus eveniunt, valde abhorrent. Neque laudare possim Gualtherum cum deos, ut peragant nugas, e cælo deducit.

Eamdem ante pugnam, Victoriam ob id tantum movet ut in Alexandri oculos tranquillus somnus illabatur. Regiam deæ in insula Tibridis sat feliciter collocat; illique dat *sorores et comites*, Gloriam, Majestatem, Reverentiam, Justitiam, Clementiam, Pecuniam, Concordiam, Pacem et Copiam. *A fronte sedent* Applausus, Favor,

..... et blæso subdolus ore
Risus adulator.
Hæc ubi tot curas volventem pectore Magnum
Vidit....
Antra Quietis adit et desidis atria Somni,
Atque ita : Surge, pater, Macetumque illabere Regi
Dum jacet, et curis animum corpusque relaxa.
Dixerat : ille gravis vix se torpore soluto
Excutiens madidas libravit in aere pennas.
Quo se cumque rapit Lethæo tacta liquore
Sidera dormitant solitos oblita meatus.
Ergo ubi torpenti Græcorum castra volatu
Attigit, expulso curarum examine, totus
Principis incubuit stratis, atque imbuit ejus
Rore papavereo respersa medullitus ossa. (IV. 400-449.)

Illa sane satis artificiosa! At ægre fero deos tam parva conficere, dum homines tam magna perficiunt.

Reliquit tamen poeta magnum quiddam diis peragendum aususque est inferos ciere ut Alexandrum interficeret. Quem Alexandreidis locum, quanquam

est longulus, liceat mihi huc transferre ; neque enim alia via qui sit Gualtherus, qualibus interdum dotibus emineat, quibusque sæpius indulgeat vitiis, planius possum demonstrare.

Interea memori recolens Natura dolore
Principis opprobrium mundo commune sibique,
Qui nimis angustum terrarum dixerat orbem
Arcanasque sui partes aperire parabat
Gentibus armatis, subito turbata verendos
Canitie vultus, Hylen irata novumque
Intermittit opus, et quas formare figuras
Cœperat, et variis animas infundere membris
Turbida deseruit, velataque nubis amictu
Ad Styga tendit iter mundique arcana secundi.
Quo se cumque rapit cedunt elementa, suæque
Artifici adsurgunt : veneratur pendulus aer
Numinis ingressum : terræ lascivia vernis
Floribus occurrit : solito mare blandius undis
Imperat et tumidi tenuere silentia fluctus.
Omnia Naturam digne venerantur et orant,
Ut sata multiplicet fetusque et semina rerum
Augeat infuso mixtoque humore calori.
Illa suis grates referens servare statutas
Jussit et in nullo naturæ excedere metas.
« Ad Styga descendo mihi provisura meisque,
Inquit, Alexandri quem terra fretumque perhorrent,
Eversura caput, nobis commune flagellum. »
Dixit, et obscuros aperit telluris hiatus,
Tartareumque subit declivi tramite limen.

Ante fores Erebi, Stygiæ sub mœnibus urbis,
Liventes habitant terrarum monstra sorores,
Inter quas antris aliarum mater opacis
Abscondit loculos, et coctum mille caminis

Faucibus infusum siccis ingutturat aurum,
Explerique nequit sitis insatiabilis ardor.
Subsannans alias cunctis supereminet una
Dedignata parem flagrante Superbia vultu.
Mersa jacens ardente luto torquetur et ardet
Pube tenus totis exhausta Libido medullis.
Nauseat Ebrietas, Gula deliciosa ligurit
Et mendica suos consumit morsibus artus.
Immemor Ira sui est, et quo rapit impetus, illuc
Ebria discurrit et se sociasque flagellat.
Proditioque Doli comes et Detractio macri
Filia Livoris, quæ cum bene facta negare
Non possit, quocumque modo pervertere tentat,
Et minuit laudes quas non abscondere fas est.
Has colit Hypocrisis marcenti livida vultu
Sedes, et summus hodie processus in aula
Pestis adulandi, bibulis studiosa potentum
Auribus instillans animæ letale venenum.
Huic aulæ vitio tanta est concessa potestas,
Ut rerum dominis humanas subtrahat aures.
Has ubi præteriens obliquo lumine vidit
Rerum prima parens, urbis se mœnibus infert,
Qua videt æternis animas ardere caminis.
Est locus extremum barathri devexus in antrum.
Perpetua fornace calens, ubi crimina punit
Et sontes animas ultricis flamma gehennæ,
Et licet unus eas atque idem torreat ignis,
Non tamen infligunt æquas incendia pœnas
Omnibus : hi levius torquentur ; sævius illi.
Sic se conformat meritis cujusque gehenna,
Ut qui deliquit levius, levioribus ille
Subjaceat pœnis, et qui graviore reatu
Excessit gravius, graviorem sentiat ignem.
Sunt quibus excepta primi levitate parentis
Nulla fuit vitæ contagio vel venialis :

His nihil aut modicum pœnæ vapor igneus infert,
Sicut in æstivo cum tempore noxius agros
Sirius exurit, sub eodem lumine solis
Sanus lascivit, cruciatur et æstuat æger.
Illic perpetuæ miscens incendia mortis
Leviathan, medii stans in fervore barathri,
Ut procul inspexit numen, fornace relicta
Tendit eo, sed eam ne terreat, ora colubri
Ponit et in primam redit adsumitque figuram,
Quam dederat natura creans, cum sidere solis
Clarior intumuit, tantumque superbia mentem
Extulit, ut summum partiri vellet Olympum.
Quo Dea conspecto : « Scelerum pater, inquit et ultor
Quem matutini superantem lumine vultum
Luciferi tumor ætherea dejecit ab arce,
Ad te confugio tandem miserabilis, ad te,
Quem, ne nulla tibi perdenti sidera sedes
Esset, in hac saltem terrarum nocte recepi :
Ad te communes hominumque Deumque querelas
Affero. Scis etenim quantis elementa fatiget
Motibus armipotens Macedo : qui classe subacto
Æquore Pamphylico Darium ter vicit, et omnem
Confringens Asiam Porum servire coegit,
Indomitum bellis : nec eo contentus Eoas
Vestigat latebras, et nunc vesanus in ipsum
Fulminat Oceanum. Cujus si fata secundis
Vela regant ventis, caput indagare remotum
A mundo Nili, et paradisum cingere facta
Obsidione parat, et, ni tibi caveris, istud
Non sinet intactum chaos, antipodumque recessus
Alteriusque volet naturæ cernere solem.
Quæ tua laus, coluber, vel quæ tua gloria, primum
Ejecisse hominem, si tam venerabilis hortus
Cedat Alexandro ? » Nec plura locuta recessit.
Ille secutus eam dictis promittit in omnes

Eventus operam, nec se desistere, donec
Inferni tenebris mergatur publicus hostis.

Nec mora, rugitu tenebrosam concutit urbem
Conciliumque vocat. Jacet inveterata malorum
Planities durata gelu, nive saucia, cujus
Nec sol indomitum nec mitigat aura rigorem.
Hic sontes animæ passim per plana jacentes
Mortis inauditæ torquentur agone, quibus mors
Est, non posse mori : quia quorum hic mortua vita
In culpa fuerit, ibi vivet semper eorum
Mors in supliciis : ut qui hic delinquere vivus
Non cessat, finem moriendi nesciat illic.
Attritus glacie nivium de frigore transit
Ad prunas. O supplicium miserabile ! semper
Et nunquam moritur quem carcer torquet Averni.
Hic ubi collecti Satrapæ Stygis et tenebrarum
Consedere duces, tria gutture sibila rauco
Edidit antiquus Serpens, quibus omne repressit
Murmur, et infernis indicta silentia pœnis
Umbrarumque graves jubet obmutescere planctus.
Ergo ubi compressit gemitus, a pectore surgens
In medium mandata Deæ depromit et addit :
« Nam quis erit modus, o socii ? quæ meta flagelli
Hujus ? ait, quo cuncta tremunt, prolixior illi
Si mora pro libito frangendum indulserit orbem ?
Ecce, sed id taceo, rupto parat obice terræ
Tartareum penetrare chaos, belloque subactis
Umbrarum dominis captivos ducere manes.
Est tamen in fatis, quod abominor, adfore tempus
Quo novus in terris quadam partus novitate,
Nescio quis nascetur homo, qui carceris hujus
Ferrea subversis confringet claustra columnis
Vasaque diripiens et fortia fortior arma,

Nostra triumphali populabitur atria ligno [1].
Proinde duces mortis nascenti occurrite morbo
Et regi Macetum : ne forte sit ille futurus
Inferni domitor, leto præcludite vitam. »

Vix ea ructarat, cum blando subdola vultu
Proditio surgens : « Labor iste brevissimus, inquit.
Est mihi mortiferum super omnia toxica virus,
Quod nec testa capit nec fusilis olla metalli,
Nec vitri species, nec vas aliud, nisi solum
Ungula cornipedis : dabitur liquor iste Falerno
Mixtus Alexandro : præsto est occasio dandi.
Nam meus Antipater, Macetum præfectus, ab ipsis
Cunarum lacrimis prætendere doctus amorem
Voce, sed occultis odium celare medullis,
Ad regem ire parat Babylona citatus ab ipso,
Ut sub eo senium consumat, et aspera rursus
Perferat emeritus castrensis tædia vitæ.
Hoc ego, si dea sum qua nulla potentior inter
Noctigenas, si me vestram bene nostis alumnam,
Hoc mediante duci virus letale datura
Evehor ad superos. » Sic fatur et omnis in unum
Conclamat tenebrosa cohors, laudatur ab ommi
Provida concilio, quod sic studiosa pararet
Infractum bellis armato frangere potu.
Nec mora, Proditio faciem mutata vetustam
Emergit tenebris, Siculumque per aera pennis
Vecta venenatis thalamum tandem intrat alumni,
Quem satis instructum blando sermone relinquens
Ad chaos æternum solitasque revertitur umbras. X.

[1] Aut quomodo potest quisquam intrare in domum fortis, et vasa ejus diripere. nisi prius alligaverit fortem.
(Evang. sec. Matth XII. 29.)

Hic habes qua ingenii ubertate Gualtherus efflorucrit; quatenus profluens quiddam et canorum illi Musæ annuerint; habes rursus vitia, quibus Alexandreida deformatam jam doluimus, prope omnia illos in versus coartata. Nempe, modo ab antiquis poetis, modo a Scriptura sacra verba mutuatur; videtur statuisse ut, illa in parte, christianam quasi speciem exsequeretur; quin immo aliquid theologiæ, ut bonus est scholasticus, explicat; verumtamen, pro Paradiso Olympus, Avernus et Styx pro inferno, pro vino Falernum, illi excidit. Denique, his in festivitatibus profecto offendisti :

. . . . . quibus mors
Est non posse mori : quia quorum hic mortua vita
In culpa fuerit, ibi vivet semper eorum
Mors in suppliciis...

Mærendum sane est quod Alexandreis adeo disparibus membris coagmentata est, ut monstri illius quod, in Arte poetica, Flaccus joco adumbravit, nos pæne cogat meminisse. Quin Gualtherus ad unum et simplex canendi genus se applicavit? Quin ad epicum poema perficiendum ingenium totum intendit, nedum in curas poetis alienissimas, docendi scilicet et *ædificandi*, divideret? Cum ex antiquis heroibus elegisset quem caneret, quin sæpius epicam veterum, qua tam apte uti potuit, quasi supellectilem, et eam quidem solam, sibi assumpsit? — At enim illum puduit poema, quod omni ex parte antiquitatem *profanam* redoleret, condere, atque metuit ne *gentilibus*

in poetis ab æqualibus collocaretur. — Cecinisset christianum aliquem virum, atque ejus vitam miraculis christianis exædificasset : quod institutum non ita male, quantum e versibus novissime huc transcriptis conjici potest, illi successisset.

Verum e naturis insociabilibus nescio quod opus conflavit. Quare Alexandreis nihil nobis voluptatis affert, nihil utilitatis; nisi quod perspicuum facit Gualtherum haud mediocre canendi genus potuisse, aliis magistris, consequi, illique ample adfuisse unde a docendarum litterarum ratione, qua tantum mutatus est, se integrum præstaret.

CAPUT VI

Gualtherus Musis valedicit. Bononiam, juris discendi causa, se confert. Causas dicere ab Ecclesia vetatur. Ambianis, canonicus decedit.

Sane, nihil Gualthero magis cordi fuit quam Alexandreis. Illam enim cum « *quinquennio elaborata* [1] » in publicum jam esset proditura, non aliter quam filiam carissimam amantissimus pater allocutus est. Diu deliberavit utrum illam penitus deleret, an in lucem proferret ; timebat ne invidorum fastidiis adhæresceret. Neque id immerito quidem, namque Alanus de Insulis, dictus Doctor universalis, vir tum celeberrimus, idemque Gualtheri popularis, inter monstra, quæ *pudoris oblita atque delirio aut ira obcæcata* natura peperit, Mævium quemdam sic profert :

> Mævius in cælos audens os ponere mutum
> Gesta ducis Macedum tenebrosi carminis umbra
> Pingere dum tentat, in primo limine fessus
> Hæret, et ignavam queritur torpescere musam.
>
> (Anticlaudianus I. 5.)

[1] Alex. Prologus.

Gualtherum agnovimus quem Neroni, Paridi et Davo, sociis sane minime honestis, Alanus ausus est commiscere.

Illam, ut opinor, contumeliam, æquo animo tulit Gualtherus cujus injuriam vir quidam magnus susceperit ulciscendam. Alexandreida enim Guillelmo, Remensium archiepiscopo, dicaverat, qui præsul provinciam alterius Mecenatis assumpserat ; virosque litteratos et opibus et consiliis adjuvabat [1]. Porro Guillelmus Gualtherum mercede magnifica affecit atque « in familiaritatem suam recepit [2]. » Æquum igitur fuit poetam, postquam sibi talem patronum conciliavit, fortius in incepto permanere, quod longe secus evenit. Protinus, ætati suæ, ipsum ad utilia quærenda rapienti, omittit resistere ; quid multa? rapitur. Sic qui adverso flumine cymbam nititur propellere, cum diu conatu magno remigavit, si forte fractus remos sustinet, secunda aqua defertur. Jam licet audire Gualtherum de labore querentem :

Antiquorum et studere
Fructus erat, et habere
  Declamantes socios :
Nunc in archa sepelire
Nummos magis est, quam scire
  « Bella per Emathios. » (R. VIII.)

Non quod rari sint discipuli, sed quod magistro mercedem omittunt solvere :

[1] Marlot, III. 452.
[2] Omnes Codd.

Axis magisterii fractus est temo...
Hoc est unde conqueror, hoc est unde gemo,
Scire volunt omnes ; mercedem solvere nemo.

At tum *bursa pregnans principabatur*, Homerusque ipse, si venisset, *Musis* ille quidem *comitatus*, *sed nummo carens*, *foras* fuisset *expulsus*. (R. I.) Quorsum caneret Gualtherus quem nec ingenium homericum, nec rursus nummi commendabant? Ergo flumini quo æquales Bononiam, juris romani, artis tum quæstuosissimæ, perdiscendi causa, deferebantur, obsequetur.

Mirum in modum ætas illa arsit juris studio. Multi, iique ingeniosissimi, postquam Parisiis litteris imbuti fuerant, ut juris prudentiam acquirerent, Bononiam pergebant, quæ inter eas omnes urbes, ubi jus doceretur, tum longe erat florentissima[1]. Non nulli quidem illam suscipiebant viam ut studio omnia discendi, quo flagrabant, indulgerent. Ii, cum multos annos in compilationibus Gratiani et Justiniani pertractandis consumpsissent, nisi invitissimi domum non revertebantur[2]. Quos valde approbem sed contiones sacras quas habuerunt, jurisconsultorum decretis

[1] Bul. II. 285.

[2] Pet. Bles. Ep. 36 : Bononiensis militiæ castra crebro suspirans...

asperserunt [1]. Plurimi contra ea mente Bononiam petebant ut pecuniam multam, simul ac jurisperitissimi evasissent, e causis dicendis conficerent. Silebant autem de lege Cincia, qui tum jus romanum docebant.

Quod juris studium monachos etiam pervasit qui « relictis claustris Legistarum scholas cœperunt frequentare [2]. » Deridet quidam monachum qui illa de causa Italiam petiit : « Alpium frigus, Italiæ calorem libenter patitur... Oneratur chartulis ; auctoribus fultus revertitur. Ponit diem causæ ; personas inducit, quæ, si velis, paratæ sunt jurare quod est et, si velis, jurare quod non est. Decreta, non psalmos ruminant ; conjugia copulant illicita ; quorum non noverunt patres, atavos nominant ; consanguinitatis ordinem narrant ; hunc ex illo descendere confirmant ; de incertis judicant ; testantur sæpissime quod ignorant [3]. »

Qui morbus adeo invaluit, ut remedia acerrima

[1] « Increpas me quia in exhortationibus meis... verba posui quæ jus civile redolebant. Loquebar enim... de terribili sententia... extremi judicii, et dicebam quod, nec appellationis remedio, nec supplicationis suffragio, nec aliquo restitutionis beneficio poterat attentari. Dicebam quod contritione duplici punirentur qui peccatorum suorum confessionem differebant... nam et in jure civili lis per inficiationem crescebat in duplum. » (Pet. Bles. Ep. 8.)

[2] Bul. II. 578.

[3] Hugo a S. Victore. De Claustro animæ. XVII.
(Migne CLXXVI. 1070.)

Ecclesia decreverit adhibenda esse ; semel atque iterum sancivit « ne monachi et regulares canonici leges temporales discerent[1]. » Sed illud edictum in Gualtherum, qui nec monachus nec regularis esset, non cecidit. Potuit igitur Bononiæ juri vacare. Quid vero in Italia fecerit ; quanto tempore moratus sit, propemodum nos præterit. Romam declinavit, a qua urbe cum rediisset, rogatus fuit ut apud scholares Bononienses diceret. Tum de trivio et quadrivio rhythmum recitavit, at qua modestia !

Ante legum dominos et magistros artium
Usurpare videor doctoris officium,
Et sermonis epulo relevare jejunium,
Cum fortassis unus sim minus sapientium ;
Sed quod minus habeo, supple, Dator omnium,
Tu qui nobis, Domine, factus es refugium. (R. IX.)

Mihi pergratum est quod Gualtherus scholares Bononienses, ut quondam Castillionenses et Remenses, quanto virtus sit scientia potior sic docuit :

Bonum tamen arbitror scire juris apicem :
Sed si vestram, Domini, voluntatem indicem
Nichil michi proderit scire totum codicem,
Dum nil boni proferam ante tantum judicem

Vellem ad jus dicendum spe lucri non fuisset allectus : verum convenit inter scholiastas illum « Bononiam se transtulisse, quod multum laboris,

[1] Lab. T. 11. 1102.

parum utilitatis in artibus liberalibus esse animadverteret. » Quibus verbis mirum in modum fidem affert Gualtheri rhythmus, qui *Gualtheri ad papam querela* inscriptus est. Sic dolet ille quod Concilium Lateranense II edixerat « ut clerici qui laïcorum patrocinium susciperent, excommunicatione ferirentur [1]. »

℣.

Ergo quia tot oppressis
In studendo parva messis
  Redditur post aspera,
Ad istius sedem patris
Et ad sancte Syon matris
  Reversus sum ubera.

Turpe tibi, pastor bone,
Si, divina lectione,
  Spreta, fiam laïcus,
Vel absolve clericatu
Vel fac ut in cleri statu
  Perseverem clericus.

Dulcis erit mihi status
Si prebenda muneratus
  Redditu vel alio
Vivam, licet non habunde;
Saltem mihi detur unde
  Studeam de proprio. (R. VIII.)

[1] Lab. XI. 1548.

Parcimus Gualthero quod rem, qua tam bene uteretur, aliquanto avidius expetivit. Nihil enim philologo optabilius est, quam ut liber vivat et *de proprio*, ut ait poeta noster, *studeat*. Ceterum Gualtheri votis obsecundavit Guillelmus « cujus precibus ecclesie ambianensis canonicus effectus est [1]. » Jam nihil de illo audimus nisi quod « Ambianis, flagello lepre castigatus, vitam terminavit [2]. »

[1] I. O. P. T. U. X.

[2] I. Ibi flagello lepre flagellatus mortuus est.

O. : Ac demum actor lepre flagitio castigatus est adeo quod vitam finivit

P. : Flagello lepre castigatus ibidem vitam terminavit.

CAPUT VII

De Gualtheri apud posteros fama. In scholis grammaticorum *præ veteribus poetis legitur;* non quod optimus scribendi et canendi magister sit aut esse videatur; sed quod clericis adulescentes informantibus, unde disserant de *omni re scibili*, suppeditat.

Opus suum Gualtherus his versibus clauserat :

Vivet cum vate superstes
Gloria Guillermi nullum moritura per ævum.

Non illa, quam sibi spoponderat, gloriæ æternitate fraudatus est. Mox habita fuit Alexandreis in exemplarium numero, quibus quasi thesauris publicis nemo non utitur. Usi illa sunt Gualtheri æquales [1], sed ii modeste ; usi sunt posteri, verum ea aliquando impudentia ut Nicolaus de Braia, cui Ludovicum VIII

[1] Cf. Carolini v. 47-75. cum Alex. v. 510. sqq. Anticlaudiani Logicam cum Aristotele Alex. : ...Nudis cutis ossibus arida nubit...

celebrare libuit, nihil aliud nisi quosdam Alexandreidis locos, nominibus mutatis, decantaverit [1]. Nec fama illa gallicis finibus fuit contracta ; manavit saltem usque ad Hispanos et Flandros , in quorum sermonem plurimos Gualtheri versus translatos invenimus [2].

Mihi vero opusculum illud ex instituta ratione absolvere cupienti, ex omnibus quæ Gualtherum commendant, placent potissimum hæc Henrici Gandavensis verba : « Alexandreis in scholis grammaticorum tantæ dignitatis est hodie (XIII° S°) ut, præ ipsa, veterum poetarum lectio negligatur [3]. » Re quidem vera, codices in quibus exarata Alexandreis est, quam plurimis notis, ut ii libri qui , Medio Ævo, in scholis terebantur, plerique distincti sunt. Num ideo Alexandreis floruit quod , velut poetæ illi qui in hodiernis grammaticorum scholis teruntur, Gualtherus magister scribendi et canendi optimus videretur? Quod antequam enucleo, quærendum mihi est num Gualtherus emendate scripserit, num cecinerit legitime. Nec vero a proposito egredior, cum Gualtherum non tam male scripsisse quam æquales sim demonstraturus.

[1] Per. gall. script. XVII, p. 311-345.

[2] Alexanders gesten van Jacob van Maerlant. — Libro de Alexandre. (Morel-Fatio.)

[3] Apud Cas. Oudin. II. 1666.

1.

Non eadem trutina Gualtherus pensandus est qua ii, qui nunc latine aliquid scribunt. Nos enim linguam latinam maxima religione tuemur, tanquam thesaurum aliquem sacrum, jam pridem satis copiosum, in quem qui novas opes audent conferre, non secus ac barbari exploduntur. Quod si quid ex illo nobis assumere statuamus, ne adulterinos nummos, quibus, heu ! affluit, pro Ciceronis et Virgilii auro arripiamus, quanta cura cavemus !

Ergo cum clericis Medii Ævi longe dissentimus, qui æque argentum atque aurum libris exornandis adhibebant ; immo æs anteponebant metallis pretiosissimis. Scripturæ enim sacræ, quam sane in latinum Ecclesia non propterea transtulit, ut pure scribendi exemplum clericis proponeret, potius quam Ciceroni ipsi non raro confidebant. Qua in re quidam mirum in modum erraverunt, maximeque Smaragdus ille qui « Grammaticam suam non Maronis aut Ciceronis auctoritate fulcivit, sed divinarum Scripturarum auctoritate adornavit [1]. » Virgilius tamen et Cicero, tanquam *actores authentici*, in quibus se nullum scribendi vitium deprehendere potuisse magistri dictitabant, reponebantur ; sed illius laudis quam multi, iique recentes, participes erant [2] !

[1] Mabillon, II. 421.
[2] Cf. Thurot. 496-500.

Adde quod linguam latinam sibi ditandam nemo doctus non censebat, præsertim cum novas res nominibus novis necesse esset designare. Verum operis adeo ardui mali artifices ii erant qui, ad usus vitæ necessarios, sermonem ex ipsis vitiis, quibus pullulantibus lingua latina jam arescebat, efflorescentem adhibebant. In verbis igitur faciendis, ab indisertorum consuetudine non satis differebant, sed quo propius ad cotidianum genus sermonis accedebant, eo longius a Ciceroniana illa lingua discedebant, quam solam nunc probamus. Jam *romana* lingua ab exquisitissima illa in eo præcipue differebat, quod potius ideis quam rebus vocitandis erat accommodata; quod discrimen non potuerunt quin dilatarent clerici, qui in artibus adeo abstrusis, theologia et philosophia scholastica, versabantur.

Pro sua parte illud quasi divortium auxit Gualtherus, adeo nominibus, quæ Priscianus vocat *incorporalia* (noms abstraits) abusus est. Nescio quid scholasticum Alexandreis redolet, unde librum evolventibus illius origo statim proditur. Ex acervo exemplorum pæne immenso, satis habui hæc expromere :

. . . Stipat latus ejus utrumque
Canities veneranda patrum (I. 213.).
. . . senex jacet exanimis fœdatque verendam
Pulvere *canitiem*. (IV. 41.)
. . . . . qua sancta recurvis
Canities nemorosa pilis vergebat in armos (V. 115.).
Ureret Herculeas solis *vicinia* Gades (V. 454.).
Captivumque trahit currus *angustia* regem (VII. 79.).

Talis in adversos Jovis irruit *ira* Gigantes (VII. 122.).
. . . sic *indivisa juventus*
Cuspide nexa jacet (IX. 142.).
Barbarie plenam præceps immisit in urbem (IX. 368.).
. . . . . sonat aura *tumultu*
Lætitiæ (IX. 449.).
. . . terræ *lascivia* vernis
Floribus occurrit (X. 18.).
. . . teneræque *infantia* lucis
Sopierat tenebras (X. 357.).

Quam ætatis suæ consuetudinem is adeo imitatus est ut incorporales — venia sit dicto — deos, Majestatem, Reverentiam, Clementiam, Concordiam, Proditionem, Detractionem, Livorem, effinxerit.

Nunc transeo ad verba in quibus Gualtherus offendit, ea sive ipse produxit aut vitiose usurpavit, sive a malis latinitatis auctoribus mutuatus est [1].

ABSENTARE (SE) : Se timor absentat (I. 126.). Nec se Bubalus absentat (III. 421.). C : Nulli liceat se de Ecclesia absentare.

ACCELERO = FESTINO : Accelerat... videre (IX. 569.). B : Accelero spolia detrahere. (Isaias. 8. 3.).

ACCEPTIO : Ne moveat stabilem personæ acceptio mentem. B. (D. Jacobi Ep. II. 1).

ACEPHALUS, A, UM (V. 21.) F : Sine capite (ap. Isidorum.).

[1] C indicat quæ apud du Cange; F. quæ apud Forcellini inveni; B. quæ Gualtherus e Scriptura sacra deprompsit; G. verba quæ mihi videtur finxisse, aut a vi germana detorsisse. Omissis argumentis, e 5406 versibus Alexandreis constat.

ÆSTUO = ARDEO : Æstuat concurrere (VII. 164.). G.

ANATHEMA (IV. 215) B.

ALLEGATIO = MANDATUM. (IV. 71).

AMORIFERUS, A, UM. (X. 362.) amorem inducens; ex Venantio Fortunato.

APICES : Divinos rimare apices (I. 179.), i. e. Scripturam sacram. F : Apices, per synecdochem, epistola aut scriptura quælibet.

APOSTATICUS, A, UM. F : Qui per apostasiam a fide defecit. Qua voce Gualtherus translate utitur : Labis apostaticæ (IV. 255.).

ARCHIATER (II. 231). C : Medicus principis.

ARCHIFABER (IV. 200.). Deus, princeps fabrum. G.

AROMA (IV. 176.). F : Quarumdam herbarum fructus, odoris et saporis gratissimi. Usurpatur fere in plurali numero. In singulari Prudentius : Mollisque ephebus tinctus aromate.

ARTICULUM, I : Ut tali articulo fortunæ flectere cursum Posset... (III. 441). Deminutive a voce *artis*. G.

ASSA : Cerebrum tamen assa tuentur (III. 197.), h. e. cerebro telum parcit. C : Assa, lignum latum et dolatum, *gallice*, ais.

AURIVOMUS, A, UM (III. 9. V. 461.). F : Cassis aurivoma (ap. Silium It. IV. 518.), h. e. cassis aurea, fulgorem emittens; alii legunt auricoma. — Cum verbum illud nusquam alibi invenerim, crediderim Gualtherum, in exemplo Bell. pun. quod in promptu habebat, legisse *aurivoma*.

BALNEO = NATO : Balneat ferrum inter præcordia (V. 93.). G.

BIGAMUS : Cain bigami non profugit arcus (IV. 194.). B. Bigami h. e. Lamech qui accepit duas uxores. (Genesis. 9. 19.)

BAPTISMUS (V. 514.). B.

CAPTIVO, in servitutem redigere : Captivata tribus. (II. 508.) B : Captivare populum (In lib. Machabæorum 1°. 15. 40.)

CLIMA, ATIS : Quatuor orbis Climata (I. 330.). Phœbe exhilarans climata (III. 470.). Extrema mundi Climata subjiciens (IX 335.). C : Ab Arabibus videntur Græci Byzantini regionibus ac provinciis climatis nomen indidisse.

COMPLUIT = IRRIGAVIT. Compluit intima cordis imber (V. 97). G. Magnus compluit ubere fletu (VII. 350.). F : Firmamentum aquis compluebatur. (D. Augustinus.)

CONTEMPTIBILIS, E, contemnendus (VI. 267. VIII. 141.) B : Per contemptibile lignum. (Liber Sapientiæ, 10. 4)

COSTA : Homo quem costa fefellit Propria (IV. 190.) h. e. quem uxor fefellit. B : Ædificavit Dominus costam quam tulerat de Adam, in mulierem (Gen. II. 21).

CRITICUS, A, UM : Non critica tempora morbi Exspectare sinit (II. 207.). F : Critici vel crisimi dies dicuntur a medicis in quibus de morbo judicari potest.

DESERO = DESISTO. Deseruit infundere. (X. 14.). G.

DESIDERIUM : Vir desiderii (II. 526.) h. e. Daniel propheta. B. : Ego veni ut indicarem tibi quia vir desideriorum es. (Daniel, 9. 23)

DIESCERE Tenebrasque diescere vidi (I. 513.). Barbara bulla diescit (III. 19.). C : Instar diei lucere;

utuntur sæpe Galtherus, Alanus, Petrus de Riga et alii.

DIFFERO = CESSO. Differ turbare (IV. 28.). G.

DULCOR (I. 366.) dulcedo. B : Initium dulcoris habet. (Eccles. 21. 2.)

DUODENNIS, E (I. 44.). C : duodecim annos natus.

EFFUTIO = PATRO... Nabarzanes et Bessus insidias in te conceptas Effutire parant. (VI. 496.). G.

ELENCHOS. Nuper corpore toto Perfecto logices pugiles armarat elenchos. (I. 62.) pugiles dialecticæ. G. Quam vocem quo modo Gualtherus declinaverit, alius viderit.

EVANGELICUS, A, UM (I. 207.). B.

EXCEREBRO (III. 136.). B : Quasi qui excerebrat canem. (Is 66. 3.)

FACIES. 1 A FACIE : Principis a facie... Sedit Aristoteles (I. 221.) h. e. ante principem. B : Gentes quas contrivit Dominus a facie filiorum Israel (4 Reg. 21. 2.) 2° IN FACIEM : In faciem procerum (VII. 468.) h. e. coram principibus. In faciem patriæ (III. 322.). B : Nisi in faciem benedixerit tibi (Job. I. 11.). Et humiliabitur superbia Israel in facie ejus (Osee 7. 10.). — Melius alias : Applausus a fronte sedent. (IV. 427.)

FACIO : A Gualthero, e latino in gallicum sensum detortum. Fecitque notari (V. 541.) Regem... Vinciri faciunt (VIII. 74.). *Gallice* : Il fait indiquer ; ils font lier. Cf : Facit obsurdescere montes (II. 316.).

FLAGELLUM, *gallice*, fléau (X. 128.). Cf. B : Multa flagella peccatoris. (Psal. 31. 3.)

FLAMMIVOMUS (v. 198.). C : Qui flammas vomit (Juvencus).

FLUCTIVOMUS (vi. 380.). Qui fluctus vomit. G.

GEHENNA (x. 64.). B. F : Vallis ubi Baal colebatur et ipsi Hebræi filios suos immolaverunt. Translate sumitur pro loco futurorum suppliciorum, quibus improbi cruciandi sunt.

GEMO = INDIGNARI, ÆGRE FERRE : Otia cum sulci gemerent (iii. 447.). G.

HYLE (iv. 182. x. 11.). C: Materia, a Græco ὕλη hanc confusam machinam mundialem velut primordialem materiam... nunc Hylen nominant....

IDOLA (i. 207.). B.

IGNORO : Volat ignoratque moveri (v. 27.). G. — Dixisset Augusti æqualis : Volat, nescius moveri.

IMPINGUO : Impinguet humum (iii. 145.), i. e. lætificat humum. B : Impinguasti in oleo caput meum (Psalmus 22. 5.).

IMPOSTURA (vii. 89.). F : Fraus (Apud. Digesta.).

INCENTIVUS, A, UM (iv, 21. vii. 318.). F : Ad incitandum aptus. Cf. B : Incentor malorum (2. Machab. 2. 4.).

INCORPORO. (x. 256.). C : In corpus immitto.

INFRUTICO = PULLULO : Infruticans lanugo pilis (i. 28.). G.

INGUTTURO : in guttur immitto (x. 35.). G.

LABILIS, E (vi 332). F : Dulcedinis labilis volucri titillatione moveri (Arnobius.).

LOQUOR = OSTENDO : Ornamenta licet regi regalia desint... Sola tamen loquitur vultus reverentia

regem (I. 235-238.). = NUNTIO : Cum loqueretur adesse Rumor Alexandrum (VI. 304.). G.

MAGNIPOTENS (VIII. 34. IX. 380.). F : Splendidus et bellicosus.

MANNA (IV. 211.). Ros quidam cœlestis quo in deserto Hebræi nutriti fuerunt. B : Appellavitque domus Israel nomen ejus Man : quod erat quasi semen coriandri album, gustusque ejus quasi similæ cum melle (Exod. 16. 17.).

MARITO : satis inepte a Gualthero translatum. Laterique aplustre maritat (IV. 324).

MARITARE (SE) = HÆRESCERE : Sequo maritabat... pellis Ossibus (I. 66.).

METROPOLIS. (I. 206. VI. 303.) F : Matrix civitas, urbs ex qua coloniæ deductæ sunt.

MOMENTANEUS, A, UM : Bona momentanea (VII. 333.). B : Momentaneum et leve tribulationis nostræ æternum gloriæ pondus operatur in nobis (2 Ep. D. Pauli ad Corinthios. 4, 17.).

MONSTRIPARUS, A, UM (I. 98.). C : Qui monstra parit.

NIGREDO (V. 44.). F : Color niger (Appul.).

NOCTIGENUS, A, UM (X. 157.). Ex nocte genitus. G.

NOVERCOR (II. 180.). F : Novercam ago ; sævio ut noverca (Sidonius Apoll.).

OBLIQUATIO : Obliquatio caudæ (III. 32.). Vocem illam Gualtherus a Macrobio mutuatus est.

OBRYZUS, A, UM : Obryzo auro (I. 236.). B : Non dabitur ei aurum obryzum (Job 28. 15.), i. e. aurum excoctum, purum.

OBTENEBRO. (IV. 302.). F : Tenebras induco. B : Obtenebrantur stellæ caligine ejus (Job 3. 2.).

OCTONARIUS : Post refugos fluctus replet octonarius orbem (IV. 201.) h. e. post diluvium, octo homines superstites terram desertam novis incolis reple verunt. G.

ORTHODOXUS, A, UM : Plebs orthodoxa (III. 337.). F : Quæ de fide recte sentiebat.

PACIFICA (I. 552.). B. C : Oblatio quæ fiebat pro pace, vel ad Deum, vel ad homines.

PASCHA (IV. 253.) B. *Gallice*, Pâques.

PATRIARCHA, (Æ) IV. 204.). B.

PERHORREO. (X. 27.) (Julius Valerius.)

PHARIZÆO : Consilio juvenum pharizæat schisma perenne Cum regno populum (IV. 238.). C : Dividit, separat, ex hebraïco phares, divisio.

PLUIT : Plue donativa maniplis (I. 146.). Verbum impersonale in activum conversum. B : Ego pluam vobis panes de cœlo (Exodus, 16. 4.).

POLYCHRONOS : Applausus, Favor, Risus commenta ludicra divæ (Victoriæ) Singula polychronos aptant... (IV. 427-431.). C : Salutatio cum genuflexione, ex Byzantinorum more qui in acclamationibus publicis Imperatoribus aut Patriarchis, πολλὰ ἔτη et πολυχρόνιον acclamabant. — Rectius intellegat, qui poterit.

POPULOSUS (IV. 560.). F : Populo abundans.

PRÆJUDICO = PRÆVOLO : Jam spes præjudicat annis (I. 191.) = PRÆSTO : Tantum præjudicat illis. (IV. 338.)

PRÆFINIRE = STATUERE, DECERNERE : Quod (regnum) si tollet e jam præfinistis (IV. 63.) i. e. Si vobis decre-

tum est regnum tollere. Præfinita dies (III. 477.). B : In tempore præfinito (Daniel 11. 40.).

PRÆLUDIA (IX. 76.) F : Præludere, ante ludere, quasi per ludum aliquid facio quod postmodum serio faciendum sit.

PRÆMOBILIS (X. 348.). valde mobilis. G.

PRÆSIGNO (X. 348.). C : Præsagio.

PRÆSUMO : Contemnere regem Præsumpsere sibi (I. 294.). Quod vix præsumo fateri (IV. 38. Cf. III. 342. V. 467.). F : Præsumo usurpatur pro audere, occipere, moliri, apud sequioris ævi scriptores, sive in bonam, sive in malam partem.

PRÆSUMPTIO, (X. 411). F : Sequiori ævo, audacia, confidentia, nimia spes. B : Vanitas est et præsumptio spiritus (Eccles. 6. 9.).

PROMUSCIDA, Æ. F : Promuscis, proboscis elephanti. - Verum Gualthero, et ii quidem, ut opinor, soli, magis placet promuscida.

PROTERVIO (III. 349.) F : Petulanter ago (Tertullianus.).

PUER, pro filio, in Scriptura sacra et Medii Ævi libris, sæpissime usurpatus est. Sed ægre Gualthero ignoverim, qui dixerit : Puerum leonis (I. 37.) tametsi puer est Alexander ; leo, Philippus.

RELEVAMEN, pro levamen Prisciani exemplo Gualtherus dixit (VII. 356.).

RORARE = STILLARE : Rorasset cerebrum cervix, (V. 89). G.

RUBRICO, (IX. 210.) rubrum facio C : Rubricæ, Tituli sive Inscriptiones librorum et indices, legumque capita passim dicuntur a Jurisconsultis

quod rubrica seu terra sinopica, vel minio solerent exarari.

SCHISMA (IV. 238.). F : Scissura et translate dissensio. B : Non sint in vobis schismata (I. D. Pauli ad Cor. 1-10.).

SPECULATIO (VI. 172.). B : Dies speculationis tuæ (Osée. 5. 1.).

SPIRENT : Medorumque aera spirent (VI. 284.). G. — Dixit Virgilius : Auras Vitales carpis (Georg. I. 376.).

SUADEO = PERSUADEO (III. 246.). G.

SUBINFERO : Lyricisque subintulit ista (I. 327.). B : Vos autem curam omnem subinferentes (2. Ep. D. Petri. 1. 5.).

SUBSANNO, omnibus contumeliis vexo (IX. 37.). B : Dominus subsannabit eos (Psalm. 2, 4.).

SUPERÆDIFICO (VII. 384.). B : Alius autem superædificat (I. D. Pauli ad Cor. Ep. 3, 10.).

SUPEREXCELLENTIOR (I. 478.). F : Excellens super alios (Salvianus.).

SUFFICIENTIA (X. 194.). B : Sed sufficientia nostra ex Deo est (2 Cor. 3. 2.).

TETRAGRAMMATUS. A, UM : Signabat mediam tetragrammata linea frontem (I. 525.). G. C : Tetragrammatos, quatuor litteris constans. Sic apud Judæos dicebatur Dei nomen quod exprimere illis erat religioni. — Ergo versum illum sic enodaverim : Signabat mediam frontem verbum e quattuor litteris constans. Re vera, in fronte summi pontificis nomen Dei erat inscribendum : Facies laminam... in qua sculpes... Sanctum Domino... et erit super tiaram, imminens fronti pontificis (Exod. 28. 36. 38.).

THYMIAMA, ATIS (v. 472.). C : Quædam confectio diversarum specierum quam sacerdos in altari thymiamatis adolebat B : Facies quoque altare ad adolendum thymiama, (Exod. 30. 1.)

TOPOGRAPHUS I, (I. 404.). A Gualthero, e voce topographia expressus. F : Topographia est descriptio veri loci.

TUEOR : Cerebrum tamen assa tuentur (III. 197.) F : Apud Jurisconsultos tueri lex aut prætor dicitur, cum alicui favet et ejus jus defendit.

TUNC, EX TUNC (IV. 557.). B : Parata sedes tua ex tunc. (Psalm. 92, 3.)

TYPICUS (VII. 423.). F : Symbolicus (Sedulius.).

VIELLA (V. 486.). *Gallice*, vielle.

Præterea, innumera prope verba Gualtherus rustice transtulit, quod jam satis superque ostendi. Neque tamen possum quin hæc quasi monstra in medium proferam :

Atque hæc dicentem vigili *bibit* aure *magistrum* (I, 81)
. . . . Jam *te vibraret* in hostes
Fulmineus Bucephal.... (IV. 89.)
Læva manus clipeo *felici fœdere nubit*
Sic tamen, ut frenis æquo *jungatur amore* (IV. 519.)
Sed jam temeraria lingua
Veritur ad gladios, et quod *conceperat ore*
Parturit ense manus. (VIII. 178,)

Sed Gualtherus, studiosior novitatis fautor, idem verba nimium veteris notæ non nunquam persequitur :

Cingier (III. 146,) nanciscier (IV. 123,) exstirparier (VIII. 393.) venero, as, (VI. 128,)

Attamen, quæ vis latinitatis aureæ verbis subjecta esset, illum cum primis tenuisse multa demonstrant, velut vox *fati*, quam tam varie, neque semel auctore locupletissimo non fultus, usurpavit.

Percallebat quoque leges orationis componendæ atque exornandæ; tametsi eas non semper observavit, quod ex hac recensione apparebit.

I. Nomina.

Phasidis amnis (VIII. 12.) *pro* Phasis amnis.

Verum :

Granicus amnis. (IV. 549,) Lycum amnem. (V. 320,) Ecbatana urbem. (VI. 302,)

Scelerum scelus (VIII. 115.) h. e. scelus turpissimum.

Superlativum Hebræorum ritu formatum.

B: Servus servorum (Gen, 9, 25,) Vanitas vanitatum. (Eccles, 1, 2,)

II. Adjectiva.

Boni subit ignorantia veri (VII. 337,) Tanta enormia (VIII. 203,)

UT pro QUO, *comparativis* semper præponit, etiam tum quum metro non cogitur :

Ut parcius instent (IX. 247,) Ut brevius loquar. (X. 281,)

TAM pro TANTO :
Tam præstitit ævo. (IV. 73.)

QUAM pro QUO :
Sed quam me fortius esses, Eventus docuit. (IX. 304.)

TANTUM, QUANTUM pro TANTO, QUANTO... Quod optimi scriptores non semper vitaverunt :
Barbarici tantum præstabant robore, quantum et numero... (VII. 272.) Quantum eloquio præstat (IV. 73.)

QUO pro QUANTO :
Quoque magis festinat... Tanto plus... (III. 400.)

Verum hæc pura :
Eo magis esurit ignis... Quo plures (III. 306.). Tanto pluris erit nobis victoria, quanto a paucis partam de pluribus esse liquebit (IV. 563.). Cf. VIII. 429. IX. 62. Multo valentior (VII. 525.).

Possessiva. — Nec capere arma sui. (VII. 65.) Ariston, Polydamasque sui. (IX. 209.) Et dare quæ tua sunt, non quæ sua demere debes. (VIII, 461.)

III. Pronomina.

Contra (Persas) justa querelæ Causa sibi fuerat. (I. 200.) Cf. IV, 20. 22, 384. [1]

[1] Les langues filles connaissent aussi cette distinction (entre suus et ejus) mais elles ont troublé l'ancien rapport. Le français est à la vérité très favorable au possessif... L'hésitation entre suus et ejus remonte jusqu'au plus ancien moyen-âge. (Diez. III. 64. 65. 66.)

IV. Verba.

QUOD, QUIA, post verba *sentiendi aut declarandi* non nunquam Gualtherus scribit :

Convenit ut potius quod sim captiva penes me Contempler, quam quod fuerim regina recorder. (VI. 238.) Scis quod amara geris adverso numine bella. (VI. 400,) Magnus ut accepit, quod confluxisset... territus orbis... (X. 249,) Scitis enim quia... (X. 322,)

INFINITIVO plerumque utitur, sed identidem non recte :

Ratus evertere (IX. 220,) = ratus se eversurum. Ratus exstinctum esse. = Ratus illum esse exstinctum (IX. 286.) Promittit se non desistere (X. 106,) = non esse destiturum.

Item de verbo *sperare*, sed auctoritate antiquorum poetarum inductus ad id fuit.

Illa de re potius laudandus est Gualtherus quam *vituperandus*, pro eo quod tam raro in vitium lapsus est, in Scriptura sacra quam frequentissimum, idemque a vulgo jam in legem conversum.

CONJUNCTIVO quod expetebat, vix unum aut alterum verbum fraudavit :

Exspectant implere.,. (IV. 515,) Ab hoste premendos suos timuit... (V. 323,) Nunc ego te moneo molles excludere somnos (IV. 476,).

Verum :

Monebat sollicite Porum, fortunæ ut cederet (IX. 263,).

Atqui vulgus infinitivum pro conjunctivo ad hujusmodi verba addebat [1].

INDICATIVUM vulgus, cum Scriptura sacra, jungebant *interrogativis*, quibus *conjunctivum* est subjiciendum.

Sed quanta fuerunt Conjicitur : testatur enim vetus illa ruina Quam fuit immensa Trojæ mensura ruentis. (I. 467.)

Verum vitium illud Gualtherus plerumque vitavit. Cf. præsertim : I. 2-5, 133-135. III. 142-155.

IN TEMPORE *conjunctivi eligendo*, quod *interrogativis* subjicere decreverat, semel atque iterum erravit :

Dum dubitat fugiatne pedes sesene laboret Perdere (IV. 195) pro : Dum dubitat fugiendumne sibi sit an laborandum.... (Cf. IV. 293.)

QUOD TEMPUS *conjunctivi si* exposcat, aliquando Gualtherum præterit :

Si sanguinis impensa Martem tractaret (I. 450.)

Atque ita interdum, sed sæpius recte.

V. ADVERBIA.

1° *Interrogativa.* — Pro num :

1° AN. An metuis ne sis reus... (IX. 470.) Ambigerem fortassis an id concedere vellem. (IV. 154.) Cf. VI. 345 VIII. 320. II. 385. — 2° ANNE : Rogata anne vellet. (VIII. 37.) Cf. VI. 349.

[1] La souplesse de ce mode et la docilité avec laquelle il se prête aux constructions les plus diverses est particulièrement sensible dans le roman... Grâce à cette souplesse, il remplace d'une façon concise et simple les constructions latines les plus diverses. (Diez. III. 232.)

Pro ne-an :

1° An-an : Quæritur an fortis... an temerarius... Rex fuerit... (ix. 371.) — 2° An-ne : Quæritur.. an debeat.. potiusne sit.. (ii. 261.) — 3° Ne-ne : Dubitat fugiatne pedes, sesene laboret Perdere. (iii. 195). — 4° Ne ve : Dubitat rapiatne fugam, vitamve perosus se sinat ipse capi. (v. 114.) Cf. vii 216 ; viii, 295. — 5° Ve. (vi. 196.)

Emendate :

Incertum... Pæniteat magis an pudeat. (vi. 224.)

II. *Prohibitoria.* — Non pro ne :

Non minuatur amor, non desit copia mentis. (i. 154) Cf. i. 164. x. 465.

Bene : i. 105. etc.

Pro neu, neve :

1° Nec : Nec moveat stabilem personæ acceptio mentem (i. 107.) Cf. i, 135, 165, 178. vi. 5. — 2° Et ne : Et ne... perdiderit... (vi 127.)

Bene :

1° Neu : Neu vos sollicitos agat (i, 499.) 2° Neve : Neve sit in promptu. (ii. 124.) Cf. iv, 544. vi, 51, 131, 442.

Frequentissima, apud Scripturam sacram, illa vitia scribendi.

Jam vero fatendum est poetam nostrum ad antiquam scribendi formam accedere sæpius fuisse conatum, atque illius poema identidem latinitatem emendatissimam redolere :

His precor a justo reddatur principe talis Talio pro meritis, qualem parricida meretur, Quamque *repensurus*, mihi si fortuna triumphum Concessiset, *eram* (vii. 278). *Præmonuisse* alias *poterat* Tyrus obruta gentes (iii. 342). Ecce lues mundi... Quem toties *poteras*, Babylon, *legisse* futurum.

Eversorem Asiæ... (VII. 1-3.). Cf. VI. 245, VII. 169, 275. VIII. 293
Magnum *ne dixeris* orbum (VIII. 127.).

Nunc, ut illud pateret, quod posui, Gualtherum purius scripsisse quam æquales, debui vitia dinumerare, quotquot hi non caverunt. Equidem illud onus minime refugi, sed simul suscepi, deposui ; neque enim ulli fere lineæ signum atrum non erat allinendum. At maximæ fidei afferendæ nonne satis est hoc argumentum proferre : Eo melius est poema quo a fonte magis puro manavit. Ergo Alexandreis, quæ magnam partem ex antiquis poetis effluxit, poematibus, quæ de Scriptura sacra et scholastica philosophia tota hausta sunt, est anteponenda.

II.

Versibus quoque legitime condendis Gualtherus æqualibus præstat. Qui, recto an claudo pede Musa sua incedat quam parum curent, Joannis Sarisberiensis ita fatetur :

Ne moveat Maurus ponens *Philologia*, versu
Ponitur interdum syllaba longa brevis.
Et brevis interdum producitur arte, sed idem
In sermone tamen sensus utrinque manet.
Et cum de sensu constet, pueriliter errat
Cui longam litem lana caprina lacit. (Enth. 177, 182.)

Nec inconsulte J. Sarisberiensem in medium protuli, quo nullus veteres contra Cornificios, cum acrius

tum sæpius, defendit. Antiquam canendi formam diligentius Gualtherus observat, qui in verbis ponderandis hæc tantum deliquit :

Acĕphălūm (v. 21.) aĕnigmătă, (iv. 399.) āenīgmă (ii. 525.), ănăthēmătĭs (iv. 215.), ārtĕrĭās (ii. 168. v. 34.), bāsīs. (vii. 390.), crītĭcă (ii. 207), dīstĭchīs (vii. 137), ĕchŏ (iv. 296), ēĭă (x, 314), hȳpŏcrĭsīs, (x. 49), ĭdŏlă, (i. 207. iv. 242, 250), ŏrthōdōxă, (iii. 338), părrĭcīdă (vi. 492). vii, 131, 192, 502, 516, 520), phīlŏsŏphīă (i. 20), psāltĕrĭo (v, 485), rētrŏfĕrrĕ, (vi. 157), rētrŏgrădūs (i. 130, 243. v. 298.) rētrōcēdĕrĕ (v. 454), sērvĭtŭs, (x. 296), sŏphīaē (iii 171), sŭpplēx, (i. 330), thĕātrūm, (ix. 572), tōpŏgrăphŭs, (i. 403.)

Quod attinet ad alias canendi licentias, quibus poetæ tum utebantur, non illas pudentius sumit quam æquales. Nonne *propria nomina* ad placitum, ut illi, ponit? Mitto autem quæ antiqui operibus suis non inseruerunt :

Bŏeōtĭă (1. 350), Dēmĕtrĭūs (viii. 107), Ĕcbātănă (vii. 193 vi. 302), Mĕdĭă (vii. 102. 103), Mēdīs (viii. 176), Mīdās (ii, 69. 75), Nābărzănēs (passim,) Nūmĭdĭă (x. 173), Sȳmmăchŭs (ix. 94. 111), Thĕbaēă (v. 316.)

Tum poetis concedebatur ut « o terminativum latine dictionis indifferenter proferrent. » Illam vocalem Gualtherus nunquam non corripit[1].

« Syllabe naturaliter breves, ratione cesure » tam sæpe producebantur ut aliquando cæsura dicta fuerit « *ectasis*, h. e. extensio brevis in principio pedis et in fine dictionis[2]. » Undecies trecenties cæsuram pent-

[1] Th. 424.

[2] Th. 438.

hemimerim Gualtherus produxit; hepthemimerim bis. Sexagies posthepthemimeri cæsura utitur, quæ non minus quam penthemimeris tum probabatur. Adde quod semel et quadragies duas consonas, quarum prior est *s*, syllabæ brevi postposuit, atque tenebis in quo ab antiquis poetis Gualtherus dissenserit.

Jam satis perspicuum est, cur Gualtherus e scholis grammaticorum jamdudum fuerit expulsus. Jam nemo non miratur quod, ante Alexandreida, divina Æneis tamdiu palluit; neque tamen mihi arduum videtur exponere qua ratione id acciderit.

Ut perlegas omnes, quibus Alexandreidis codices illustrati sunt, glossas, nihil omnino, quod ad latine loquendi normam pertineat, invenias. Nullius igitur Gualtherus stilum direxit : alia de causa venditabatur.

Quem fructum et discipuli et magistri e legendis poetis decerpere volebant, eum Gualtherus copiosissime suppeditabat, parce Virgilius. Neque enim in Æneide quidquid clericus necesse habet scire attingere huic propositum fuerat, quod ille nobis visus est præcipue persequi. Ac ne quis credat aliam fuisse causam cur Æneidi Alexandreis anteposita fuerit: quæ a poetis expetimus, ea Gualtheri scholiastæ neglegunt, dum in his hærent quæ nos jure nostro despicimus. Testes mihi innumeræ Alexandreidis glossæ, quæ prope nullæ sunt cum Gualtherus ad poetas accedit, codicumque margines præterfluunt, cum recidit ad scholasticos. Quas qui evolverit, quæ tum fuerint scientiæ non ita male tenebit, neque jam, cum plerisque nostratum credet, Theologiam, post duodeci-

mum seculum, Musas, quo planius dominaretur, scholis exclusisse. Nam multos antiquorum versus per Alexandreidis glossas inveniet, itaque scientiarum Reginæ novem Sorores, tanquam pedissequas et ancillulas, Medio Ævo, nunquam non fuisse adjunctas, mecum asseverabit [1].

[1] Diu mihi decretum fuit Gualthero Guntherum quemdam, cui Ligurinus attribuitur, opponere. Ex his enim, qui Ligurinum XII° seculo nolunt adjungere, unus tantum mihi occurrerat, qui poema ne legisse quidem videbatur (Heinrich. Les hexamètres *rimés* de Gunther n'ont presque aucune valeur. I. 249. Cf. II. 566.), dum sententiam oppositam viri, quos Medii Ævi auctores maxime idoneos satis noveram, firmissimis, me judice, argumentis fulciebant (G. Paris et Pannenborg.). Verum, ex quo Ligurinum attentius evolvi, non possum quin exclamem : « Non scholasticum olet. »

Mitto verba e scholis deprompta, quæ tam multa ex Alexandreide collegi, dum e Ligurino D. Pannenborg protulit tam pauca. (115-118) Mitto delicias quibus ne una quidem Alexandreidis pagina vacat, dum fere omnibus Ligurini locis sunt exclusæ. Nec vero illud in meæ causæ commodum vertam quod is, qui Ligurinum condidit, de poetarum officiis multo rectius sensit quam scholastici, idemque versibus ad quos Gualtheri loci vel optimi non accedunt, propositum expressit, (Lig I. 119-154. Migne CCXII. 335.) neque ab instituto cursu, huc illuc spatiandi causa, revocatus est. Velim tantum viri illi, quibus nisi timide non adversor, canendi licentiis, quæ scholasticæ poesis quasi peculiare signum sunt, Guntherum usum fuisse mihi demonstrent.

Indicent præsertim mihi in Ligurino syllabas breves *beneficio cesure* productas; cæsuras post hepthemimeres, atque vitium illud, quem nos *sigmatisme* vocamus : tum vero in illorum sententiam libentissime concedam.

CONCLUSIO

Illud opusculum, jam absolutum, perspicuum fecit Ecclesiam litterarum discendarum studiosam, Medio Ævo, patronam fuisse. — At enim, ut ne quis divino illi afflatui quo vates excitantur, vela panderet, effecit. — Immo vero! Si quis laïcus poema, quod perditos mores non foveret, condiderat, illi aperte favebat, nedum obsisteret [1]. Aliam quidem se clericis præbuit, quod quis illi crimini vertat? Poteratne illos a nequitia, quæ quasi juculatorum propria erat nota, cautius prohiberé? Quam ejus diligentiam isti comprobavere clerici scur-

[1] L. Gautier I. 352 : L'Eglise protége les jongleurs de geste. Est tertium genus hominum qui habent instrumenta musica ad delectandum homines. Sed talium sunt duo genera : quidam enim frequentant potaciones publicas et lascivas congregationes ut cantent ibi lascivas cantilenas, et tales dampnabiles sunt sicut alii qui movent homines ad lasciviam. Sunt autem alii qui dicuntur joculatores, qui cantant gesta principum et vitas sanctorum, et faciunt solacia hominibus in egritudinibus suis vel in angustiis suis, et non faciunt innumeras turpitudines sicut faciunt saltatores et saltatrices.... Si autem non faciunt talia... bene possunt sustineri tales, sicut ait Alexander papa (Summa de penitentia XIII sec.)

riles qui, vagam joculatorum vitam imitati, cantus obscenos, magna querela et gemitu bonorum, quacumque diffundebant : Goliardos [2] dico quibus tum pestis funestior nulla. Præterea, nonne jure suo docuit clerici non esse caput, ut optima carmina componat ? Quis contendat pastoris eas esse partes ut studium omne in cantando collocet ; imperatoris, ut ante omnia discat tibiam inflare ? Providentissime igitur fecit Ecclesia quæ ovium suarum pastores ad gregem alendum, christianorum imperatores ad milites sustinendos, præsertim instituerit. Nec vero inconsulte presbyteros, quorum sit alios ad bonum exemplo trahere, de bene vivendo quam de bene dicendo voluit esse sollicitiores. Cavit illa quidem ne, poetarum more, ætatem traducerent in somniando ; sed dedit sedulam operam ne in artibus versarentur, unde rem avidius sibi compararent ; præsertim ne medici fierent aut causidici. Id unum ei crimini vertas, quod Musas Theologiæ et Sapientiæ administras plus æquo adhibuerit.

[1] De Goliardis cf. Wright : The latin poems, etc. Introduction. The goliardi appear to have been in the clerical order the same class as the jongleurs and minstrels among the laity, riotous and unthrifty scholars who attended on the tables of the richer ecclesiastics, and gained their living and clothing by practising the profession of buffoons and jesters. (XI.)

Quam recte Ecclesiæ mentem interpretatus sim, hoc, inter pauca, concilii cujusdam edictum plane ostendet : « Item præcipimus quod clerici non sint joculatores, goliardi seu bufones. » (Martenne. IV. 727.)

Jam vero Ecclesiam, ad quam pertinet clericos informare, tanto illo munere, Medio Ævo, neque indiligenter, neque illiberaliter functam fuisse, velim omnes mecum concludant.

Vu et lu, en Sorbonne, à Paris, le 29 juillet 1876.
Le Doyen de la Faculté des Lettres de Paris.

H. WALLON.

TYPIS MANDETUR,
Academiæ Parisiensis Rector,
Pour le Vice-Recteur,
l'Inspecteur d'Académie,

E. FERNET.

APPENDIX

Excerpta ex Alexandreidis codicibus Scholia.

Duplex Alexandreidis glossa : altera brevis, atque inter versus plerumque scripta; altera vero scripta secundum margines, eaque sæpius verbosa [1].

In priore nihil aliud nisi Gualtheri verba, verbis vulgaribus, interpretes explicaverunt.

I. 28. Infruticans lanugo pilis...

Lanugo, prima barba...

30. . . . . dare jura Pelasgis

Pelasgis, Grecis,

38. . . . . galeato vertice...

Galea tecto.

258. Et quæ letifero contorta volumine grandes
Funda jacit...

letifero, mortali. (O.)

III. 9. Aurivomis patulas absorbens faucibus auras...

Aurivomis, splendentibus ad modum auri.

[1] Mihi tantum non sumo ut scholia illa emendate edere velim, quod onus umeri mei ferre recusent, satis habebo non nulla, quoad facultas feret, excerpere, quæ proposito meo prosint illustrando.

V. 238. Gorgonis anguicomos prætendens ægide vultus.
Anguicomos, quasi habentis serpentes in capillis suis.

VII. 1. Restitit Hesperio mærensque in litore Phœbus.
Hesperio, occidentali.

X. 270. . . . . spumantem Hispania labris
Cornipedem...
Cornipedem quemdam equum. (A.)

Iidem, in glossa posteriore, *de omni re scibili* disseruerunt.

Primum poetam suum, ut solet, venditant.

Hanc historiam, sive materiam, omnes antiqui poete reliquerunt intactam... propter rei altitudinem... quia, teste Servio, nullus veterum poetarum aggredi ausus est perscribendam rem adeo arduam, mortali ingenio et humana eloquentia nisi cum difficultate summa explicabilem... (O. cf. J.)

Hic incipit materia Alexandreidis, id est, materia de Alexandri factis quam antiqui poete intactam reliquerunt, Galterus de Castelione... *ausus est* aggredi.

Dico quod antiqui poete intactam liquerunt, teste Servio, triplice de causa, propter malignitatem et invidiam, quia nolebant quod materia talis alumnis poetis ignotesceret; propter suam ignorantiam, quum ignorabant materiam; propter ipsius materie difficultatem. (K.)

Deinde se a Gualthero « scientiam et morum edificationem » (Q) expetere, apertissime profitentur.

Actor iste... communi omnium deserviens utilitati, hanc historiam de *moribus* Alexandri (scribit) cujus itaque patet magna libri utilitas. Ad hoc fideliter utilis est liber iste ut, perlecto libro et exitu Alexandri considerato, inter utramque fortunam constituti constanter roboremur, ut ictus fortune et tribulationis aculeos sufferamus et supportemus sapienter. Et ne affluentiam plus equo muliebriter appetamus, more Alexandri qui antipodes sibi subdere cupiebat. (P. cf. G.)

Agit de *moribus* Alexandri et bellantium, iterum multa fecit que ad morum instructionem pertinent. Utilitas duplex est, communis et privata. Communis, scilicet legentium, est *cognitio historie*... (O.)

Intentio actoris ut sapientia imbuamur. (Q.)

Ii sane sunt qui magnum opus et scite æstimare possunt et tempestive approbare; passimque per codices illos reperias quæ, in artibus poetarum aut rhetorum, solent exponi.

Epistola actoris.

More bene scribentium episcopo suo prologum sive prohemium premittit, in quo materiam suam delibat, et opus prius deducitur in audientiam provectorum. Est autem prologus oratio vel sermo preparans animum auditoris ad reliqua que sequuntur facilius intelligenda. (P.)

Qualitas metri, exametrum eroïcum; exametrum quod constat sex pedibus; eroïcum quod loquitur de gestis heroum. (Q.)

More... actor iste proponit, invocat et narrat;

Proponit, ubi dicit :

Gesta ducis Macedum...

Invocat ubi dicit :

At tu cui...

Narrat ubi dicit :

Nondum prodierat...

Duplicem facit invocationem : principalem primum ad remensem archimandritam; secundariam ad musam. (K. cf. A. O.)

Facta propositione et invocatione accedit actor ad narrationem. Duplex est ordo narrandi, scilicet naturalis et artificialis. Actor iste artificiali ordine utitur; si enim naturali usus esset, incepisset sic : Cyrus fuit rex Persarum qui Greciam fecit sibi tributariam. (O.)

Duplex est narratio; naturalis que decet hystoriographis et

describit res prout geste sunt; artificialis que narrat in medio res que narrari debent in principio; sic Virgilius in Eneide narrat destructionem Troje in medio hystorie quam deberet narrare in principio. (J.)

I. 238. Mensis erat juvenum...

Actor *describit* mensem in quo Alexander sumptus fuit in regem.

394. Tertia pars orbis...
Hæc Asia est ....

Digressionem a materia facit actor, ad Asiam describendam. (J.)

II. 462. Arma tamen Dario multo sudore fabrili
Parta micant.....

Sudore fabrili methonomia.

VII. 306. Felices animæ.

Facit actor *disgressionem.*

X 433. O felix mortale genus si semper haberet...

Exclamatio actoris ad humanum genus.

Jam patuit Gualtheri scholiastas Virgilium legisse. Legerant Horatium :

« Actor iste illud Horatii memorie commendans : Nil intemptatum nostri liquere poete, hanc (cepit) historiam de *moribus* Alexandri. (P.)

Lucanum evolverant :

V. 510. Ut pigeat tanto splendore Lucanum
Cæsareum cecinisse melos...

Intelligit de Lucano qui tractavit de bello inter Julium Cesarem et Pompeium. Et fuit Hispanus de Corduba. (O.)

Neque tantum, ut mox videro, Virgilium et Lucanum perlegerant.

Fateor equidem illos sæpius, in enodandis nominibus, non plus sapivisse quam æquales.

I. 239. Junius dicitur a junioribus; sic Maius a majoribus.

II. 152. Calculus dicitur, quasi ledens calcem vel pedem.

II. 175. Improba, mobilior folio fortuna caduco...

Fortuna quasi fortis una, vel forte una.

I. 284. Inde ubi discordes iterum sibi junxit Athenas...

Athenæ dicitur ab athanatos quod est immortale, quia antiquitus erat ibi fons sapiencie que est immortalis. (O.)

IV. 176. Interea Macedo condivit aromate corpus...

Aroma, aeris oma, id est odor aeris. (A).

V. Sulphureis Acheron defendat mœnia ripis

Acheron, a et chere quod est salus, id est sine salute.

X. 49. Has colit hypocrisis marcenti livide vultu
Sedes...

Ypocrisis, ab upo quod est super et crisis quod est aurum; quod videtur super deauratum. (O.)

Ad prologum actoris.

Prohemium dicitur a protos qui est primus et emos qui est sermo vel cantus... prohemium, prologus et omilia idem sunt. Omilia dicitur ab omos qui est sermo et laos lapis, et est sermo directus ad indoctos quia duri sunt ad modum lapidis vel ad rusticos. Premittuntur siquidem omilie in principio actorum propter duros et male intelligentes potiusquam propter artificiosos et subtiles [1].

Quanquam non nulla sunt quæ possis probare.

I. 65. Nulla repellebat a pelle parenthesis ossa...

[1] Cf. Cod. And. 507 : Dicitur allegoria ab aleon, grece, quod est alienum, et gore quod est locutio; quasi aliena locutio, et denuo ad aliud locutio.

Anagoge dicitur ab ana, quod est sursum, et goge, quod est conductio; quasi sursum ductio.

Tropologia, a tropos, quod est conversio, et logos, quod est sermo.

Dicitur historia ab historion, grece, quod est gesticlatio.

Parenthesis dicitur a paren quod est inter et thesis quod est positio, quasi interpositio, et est figura in grammatica que fit quando aliquid interponitur in medio alicujus dictionis hoc autem ponitur pro carne que solet esse inter cutem et ossa.

I. 269. Cum tremeret totus variis rumoribus orbis.

Rumor est sermo ambiguus, ab incerto actore editus.

I. 404. Topographi perhibent...

Topos, locus; graphos, scriptura; id est, topographi locorum scriptores. (O.)

I. 525. Signabat mediam tetragrammata linea frontem.

Tetragrammata, tetra quod est quatuor et gramma quod est littera.

Nec longius in iis detinentur quæ pertinent ad litteras. Contra, per omnes scientias, sacras præsertim, quam libenter, Gualthero duce, evagantur! Jam in describendo clipeo in quo

Fulget origo patrum Darii gentisque profanæ
II. 498 Ordo giganteæ...

diu per Scripturam sacram spatiati sunt. Porro in monumento, quod Alexander Darii uxori ædificat, *Genesis historias ab origine mundi* Gualthero placet *notari*. Cui occasioni non desunt; Judæorum historiis viginti paginas, easque minutissime scriptas, adeo referciunt, vix ut duobus aut tribus versibus in singulis locus supersit.

Fabulas gentium evolvunt, sed minus copiose.

I. 297. Nota est fabula quod Cadmus quereret Europam sororem suam precepto Agenoris patris sui; consuluit Phebum quam terram debet petere. Phebus dixit ei quod inveniret vaccam solam in campis, et quod sequeretur illam, et in

loco in quo quiesceret faceret civitatem. Cadmus vero invenit vaccam et secutus est eam. Cadmus volens sacrificare commisit socios ut afferrent ei aquam novam qui, quum venissent ad cisternam quamdam, invenerunt serpentem qui eos ipsos interfecit. Cadmus vero admirans quod tamdiu morarentur, secutus est eos et vidit serpentem lambentem vulnera eorum et ipsum interfecit; et monitu Palladis seminavit dentes ejus in terra, et ibidem nati sunt heroes armati qui se interfecerunt, exceptis quinque qui adjuverunt eum ad civitatem suam componendam, et ex illis nati fuerunt Thebani, etc...

I. 453. Ilion et structos violato fœdere muros...

Laomedon rex incepit facere menia trojana, et quum non potuisset perficere, promisit fide mediante Phebo et Neptuno unum modium auri et unum modium argenti, si ea perficerent. Phebus autem cepit citharizare et propter dulcedinem cantus sui ascendunt lapides unus super alium et ita facta fuerunt menia trojana, quibus perfectis noluit Laomedon eis reddere quod promiserat.

I. 460. Densa subest vallis, ubi litis causa jocosæ
Tractata est...

Ad nuptias Tethidis et Pelei vocati fuerunt omnes dii et omnes dee, excepta Discordia, quare una irata fuit et protulit pomum quoddam inter tres deas, scilicet Junonem, Venerem et Palladem, dicens quod potentior earum haberet pomum illud, et elegerunt judicem scilicet Parim filium, cui Juno promisit divitias multas, si daret ei pomum; Pallas autem promisit ei fortitudinem; Venus vero promisit pulcriorem mulierem que erat in toto mundo, et ipse Paris dedit pomum Veneri, et ipsa monuit eum quod iret in Greciam et ibidem raperet Elenam uxorem Menelai regis Grecie, que erat pulcherrima mulierum. Ille vero acquievit monitis ejus, et ivit in Greciam et ibidem rapuit Elenam, quare Menelaus congregavit omnes milites Grecie et duxit eos ad Trojam ut repete-

ret uxorem suam; qui obsederunt civitatem per decem annos, et ad ultimum incenderunt eam et penitus destruxerunt, et in illo bello multi Grecorum interfecti fuerunt. (O.)

Historiam omnium populorum et temporum cum Gualthero perlustrant, usque adeo ut Anglorum reges enumerent. (A.)

Nempe dixerat poeta, dum Guillelmum laudabat :

> At tu cui major genuisse Britannia reges
> Gaudet avos...

Denique tantam Gualthero de historia disserenti fidem habent, ut falsa effutienti sine ulla dubitatione credant.

Legitur quod dum Alexander partem orientalem fere sibi subjugasset, Romam venire destinavit : quo audito, turbati sunt Romani et in ipsum maximam conflaverunt rebellionem, quod apparet in fine istius libri ubi dicitur.

> Roma per Emilium regni diadema mihique
> Scripserit ut Regi... (X. 323.)

Quod audiens Alexander eis comminatorie scripsisse legitur in hoc modo : Si venero, si venero, si venero; quod orat dictum, percutiam vos clade et fame. Romani rescripserunt ei : Si veneris, si veneris, si veneris, invenies nos rebelles. Verumtamen Alexander proponit redire per Romam ut deleret eam, quod in fine istius libri apparet.

> Neve meis titulis desit perfectio Romam
> Imprimis delere placet (X. 327.)

Sed homo proponit et Deus disponit, quia preventus morte non rediit. Qua de causa Romani, qui Alexandrum habebant in odio propter jam dictum, non permiserunt alicui de gestis ipsius scribere. (P. cf. J.)

Miris in regionibus, in quas Gualtherus Alexandrum deducit, libenter morantur, easque unus et alter, penicillo admodum rudi, depingit.

I. 398. Tertia pars mundi...
Hæc Asia est...

In hoc loco describit actor terram ad quam Alexander applicuit. Unde sciemus quod totalis mundus dividitur in tres partes, scilicet in Asiam in Europam et Affricam; sed alia continet medietatem totius mundi, Europa vero quartam et Affricam aliam quartam.

Denominata enim fuit terra illa ab Asya que in ea regnavit.

I. 415. Hæc Arabum terras redolentes ture sabaeo...

Arabia est regio habundans speciebus aromaticis thure et mirra, et ubi vivit avis que dicitur phenix cujus natura talis est quod, quum ipsa sentit mortem suam imminere, facit nidum suum in arbore que dicitur mirra, et replet cum thure et aliis speciebus et supponit ignem, et ibi accenditur, et de pulvere corporis ejus nascitur alia avis que similiter dicitur; verum dicitur unica semper avis. (O.)

Memphites autem Zoroas artibus liberalibus studuerat; inde longus sermo de quadrivio, subobscurus ille quidem, sed qui latinos poetas scholiastis Gualtheri notissimos fuisse demonstret.

III. 140. sqq. Memphites Zoroas, quo nemo peritior astris
Mundanas prænosse vices, quo sidere frugis
Defectum patiatur ager...
Circulus an possit quadrari, an musica formet
Cælestes modulos, vel quanta proportio rerum
Quatuor inter se, novit quis sidera septem
Impetus obliquo rapiat contraria mundo;

Quot distent a se gradibus, quæ stella nocivum
Impediat sævire senem, quo sidere fiat
Obice propitius. Martem quis temperet ignis.
Quam sibi quisque domum quærat, quod sidus in isto
Regnet hemispherio...

Memphites, quia Memphis quedam terra est in Egypto, ubi est perpetua aeris serenitas, quia ibi nubes non habent locum, cum sit vicina torride, et ideo liberiorem aspectum habent ibi astronomi quam in aliqua alia regione ad contemplationem celestium ; nec aliquis eorum non erat peritior Zoroa in astris et in notitia astrorum. Hic consonat Lucanus querenti de Sigulo astronomo et tunc eodem modo, autem singulatim : cui cura deos secretaque celi nosse fuit, que non stellarum Egytia Memphis justius equaret numerisque moventibus astra. [1]

Mundanas prenosse vices, id est, casus varios in mundo vicissim succordantes.

Prenosse id est prenovisse antequam evenerint.

Quo sidere, id est, cujus sideris effectu. Singularem ponit ibi pro plurali, sideris pro siderum, quia non unius sed plurimi effectu sit terra sterilis, vel calore calidarum planetarum et signorum seu Martis et Phebi, vel humore et frigiditate humidorum et frigidorum. Humor est frigidorum seu Saturni et Lune et Aquarii; quod tangit Ovidius ubi dicit : primis segetes moriuntur in herbis, nam modo sol nimius, nimius modo perquoquit imber [2]. Item de calore Stacius dicit in primo : querenti que causa duci ; quis ab ethere levis, ignis et in totum regnaret Syrius annum [3]. De humore ait Virgilius in primo georgicorum : ruit arduus ether et pluvia ingenti sata leta

[1] Ph., I, 638.
[2] Met., V, 482.
[3] Th., I, 634.

boumque labores diluit [1]. Idem in eodem : hoc metuens, serva menses et sidera celi ; frigida Saturni sese quo stella receptet [2].

Quo sidere, id est planeta existente in signo aliquo, habeat fieri diluvium vel exustio, et jam ponit effectum pro causa, seu defectum frugis pro causa diluvii que fit, Saturno existente in Aquario, Sole in Leone. Super hoc vel hiis autem Macrobius de Lucano dicit : qui rem tetigit veritatem turbavit. Rem tangit quia ad hoc quod sit diluvium oportet Saturnum esse in Aquario ; ad hoc ut sit exustio oportet Solem esse in Leone. Veritatem turbavit quia non sequitur quod si ita est et ita sit. Non enim quotienscumque Saturnus est in Aquario habet fieri diluvium, nec quotienscumque sol erit in Leone est exustio; quid ergo velit dicere? Videamus quomodo fiat incendium et diluvium. Planetarum quidam sunt frigidi et humidi, quidam calidi et sicci : humidi et frigidi ut Saturnus, Luna ; calidi et sicci, ut Sol et Mars, et ex contrariis eorum qualitatibus nascitur temperies. Si ergo contingat quod (frigidi) et humidi planete sint in uno tropico signo, seu in illo quod est supra nos in nostro emisp (h) erio, jam prope sicci et calidi sunt in tropico opposito, seu in infimum emisp (h) erium, necessario oportet quod nisi est quod eorum impediat frigiditatem et humiditatem et ce... terre et non habet, aliquo calore exsiccatur, si tamen ab ipsa terra quam a planetis majus et majus suscipit incrementum, ergo fit exustio. Quod si contingat quod calidi et sicci planete sint supra verticem nostram, ita non quod temperentur eorum qualitates contrariis qualitatibus, immo planete contrariarum qualitatum sint in inferiori emisp (h) erio, in aliquo tropico, tunc majorem exercent calorem in subditis rebus et desiccato hoc more terra ipsa comburitur , et hoc est quod tangit auc-

[1] I, 324.
[2] I, 335.

tor in hoc opere cum Lucano dicente : summo si frigida celo stella nocens nigros saturni accenderet ignes ; Deucalioneos fudisset Aquarius imbres, si sevum radiis Nemeum Phebe Leonem nunc premeres toto fierent incendia mundo [1]... Zoroas novit quod ex contrariis qualitatibus planetarum nascitur temperies et unde est annus frugifer, et hoc est quod dicit quia, sicut dicit in sequentibus, alterius planete benignitas impedit alterius malitiam si ad invicem vicinentur et cetera.

Unde nives... novit originem nivium : ex frigiditate ventorum nives procreari habent et novit quare calidior est estas quod manifeste dicit Ovidius dicens : utque ferunt imbres gelidis concrescere ventis, inde nives fieri ; nivibus quoque mole rotatis astringi et spissa glomerari grandine corpus et cetera [2]...

Que veris in ortu temperies impinguet humum, scilicet caloris et humoris, quod idem Ovidius dicit : vapor humidus omnes res creat et discors concordia fetibus apta est [3].

Cur ardeat estas, ex accessu solis habemus estatem sicut ex recessu hyemem et, pro siccis et calidis planetis propinquis, maxima, sicut dictum est.

Circulus an possit quadrari, quod demonstratione probatur in ligna per circumferenciam rote ducte usque ad idem perventum a quo incipit. Sed in quadrangulam formam disponatur sive in quatuor equalias sic divisa, et cum Aristotele dicimus quod quadratura circuli scibilis est et non scita ; sed post tempus Aristotelis nondum scita fuit, sicut testatur Boecius in commentario super predicamenta Aristotelis.

An musica formet celestes modulos. Ad noticiam hujus rei sciendum est quod sit musica et quot modis dicatur. Musica est intervallum in consonantiis, in arsy et in thesy et in ele-

[1] I, 651.
[2] Met., IX, 220.
[3] Met., I, 432.

vatione et depressione vocum. Nam si duc voces equaliter elevantur non est consonantia, sed idem sonus et eodem sono non potest fieri consonantia. Nam consonantia dicitur duarum vocum, non unius, concordantia. Item si non sit arsys talium vocum que non sunt in proportione, non erit concordantia, sed potius dissonantia... Sic ergo deffinitur musica : Musica est vocum variarum concors varietas. Per hoc quod dicitur in positione est varietas, notatur elevatio et depressio, et per hoc quod dico concors, notatur quod arsys et thesys debent esse in proporcione Sic habemus quid sit musica. Musice autem tres sunt species principaliter, scilicet mundana, humana, instrumentalis. Mundana, est in proporcione numerorum que est vinculum elementorum; humana in complexione humanorum; instrumentalis est in sono vocum. Item instrumentalis musice tres sunt species, scilicet rithmica, metrica, melica : rithmica in rithmis, metrica in numeris, melica in melodiis. (A. C.)

Denique, ut tibi liqueat loquaces istos magistros apud Gualtherum invenisse, unde quamlibet scientiam docerent, vide illos ex his versibus ad medicinam devenientes :

II. 161. Perfusus Macedo sudore et pulvere membra
Corpore adhuc calido, subjectis insilit undis.
Horruit extemplo gelido perfusa liquore
Tota viri moles, ubi non invenit apertas
Spiritus arterias, corpusque relinquit inane
Frigore vitalis color interclusus aquarum.

Quum ipse Alexander in mense julio fatigatus esset propter nimium laborem, in tantum quod sudabat propter calorem, pori corporis ejus aperti erant, per quos exibat sudor, et etiam arterie per quas spiritus attrahitur ad refrigerandum cor, quod est in continuo motum, aperte erant et dilatate. Videns autem Alexander aquam lucidam et mundam que frigi-

dissima erat, quod, sicut dictum est de fontibus gelidis, veniebat sine commixtione alterius aque, desiliit in aquam nudus, et ita frigiditas aque intravit poros corporis ejus et strinxit eos, et etiam arterie constricte fuerunt, quare calor naturalis qui procedit ex corde non potuit habere respiramentum; unde ipse factus fuit quasi mortuus.

Arterie sunt pori per quos spiritus intrat hominem, vel arterie sunt vene stricte que accipiunt spiritum exeuntem. Dicuntur autem arterie, quasi arte aeris vie. (O.)

Artherie sunt vene pulsative. (A.)

Hæc hactenus. Jam satis illud patet quod dixi : clericos, Medio Ævo, Alexandreida pervolutavisse ut in scientiis et pietate, non in litteris, proficerent.

INDEX GENERALIS

INDEX BIBLIOGRAPHICUS . . . . . .

PROOEMIUM VI

CAPUT I. — Gualtherus trivium et quadrivium percurrit, id est, litteras et scientias discit. 1

CAPUT II. — Gualtherus litteras Castellione docet. — Libellum in Judæos et Rhythmos componit . . . 14

CAPUT III. — Gualtherus scholis Remensibus præficitur. Ad pugnam poeticam a Mathæo Vindocinensi provocatus, Alexandreida scribit 27

CAPUT IV. — De Gualthero historico, id est, quem inter Alexandri historias locum Alexandreidi assignare deceat 35

CAPUT V. — De Gualthero poeta, id est, quo in poematum epicorum numero Alexandreis sit habenda. . . . 56

CAPUT VI. — Gualtherus Musis valedicit. Bononiam, juris discendi causa, se confert. — Causas dicere ab Ecclesia vetatur. Ambianis, canonicus decedit. 77

CAPUT VII. — De Gualtheri apud posteros fama. In scholis grammaticorum *præ veteribus poetis legitur;* non quod optimus scribendi et canendi magister sit aut esse videatur, sed quod clericis adulescentes informantibus unde disserant de *omni re scibili*, suppeditat. . . 84

CONCLUSIO 107

APPENDIX . . . . . , ... 110

MLg 528.81
De Gualthero ab Insulis,
Widener Library 004196647
3 2044 088 820 758